EPITOME

THERAPIAE GENERALIS;

IN USUM DISCIPULORUM

SCRIPSIT

Ger. Conr. Bern. Suringar,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETR. DOCTOR; MEDICINAE PRACTICAE IN SCHOLA CLINICA ET IN ILLUSTRI AMSTELODAMENSIUM ATHENAEO PROFESSOR.

Amstelodami,
apud C. G. SULPKE.
MDCCCXXXIV.

Naturam sequentibus omnia facilia et expedita sunt: contra illam viventibus non alia est vita, quam contra aquam navigantibus.

SENECA.

PRAEFATIO.

Vita brevis, Ars longa. Vitam longiorem, Artem breviorem facere, hoc opus, hic labor est. Si quis vitae cancellos extendere cupiat, is paucis vivere discat et ab omni festinatione abstineat. Longae vero, incertae, difficili Artis rationi medendum praecipue videtur simplicis sensu, veri amore, studio brevitatis. Quidquid praecipies, esto brevis, poëtas monet Horatius. Quapropter, quae longa docuit aliorum experientia et sua quemque in observando industria, ea in compendium redigenda sunt, quo facilius teneantur, perficiantur, augeantur vitaeque brevitati respondeant. Pauca placent, sed selecta. Indigestâ observationum mole et verborum multitudine mentem obrui, constat. Quae brevius dicta sunt, longe altius animis inhaerere, nemo negaverit, qui in hoc studiorum genere versatus est. Ubi rerum testimonia adsunt, non opus est verbis. Hippocrates quippe in eo per sententias breves et contractas dicendi genere adeo excelluit, ut Naturae, non hominis voce locutus esse dicatur, cujus utique, tamquam optimi praeceptoris, verba in omnium ore versantur. Hujus quidem scripta nulla delevit dies, neque ulla perditura est temporum injuria. Sed quae serior protulit aetas, millia et quot excurrit, vasta Medicorum volumina, infinitâ observationum, experimentorum,

conjecturarum, dogmatum copiâ repleta, in locum delata fuerunt, ubi venduntur et piper et thus et odores.

Arduum tamen opus esse, summa doctrinae medicae Capita et praecipuos medendi canones, in epitomen contrahere, ita ut haec neque pauciora, quam oportet, neque etiam plura contineat, equidem saepius, et nunc quoque expertus sum. Quâ difficultate autem non sum deterritus a consilio experiundi, quid ferre recusent, quid valeant humeri. Indigebam quippe in institutionis domesticae usum, Synopsi aliquâ Therapiae Generalis, quae, latine scripta, et ad hodiernam Medicinae, non speculativae istius ac pensilis, sed verae et longo usu probatae, conditionem composita, rerum et verborum ratione apta esset, quam in lectionibus meis accuratius explicarem atque exemplis illustrarem. Sciebam quidem, in *Conspectu Medicinae theoreticae*, quo magnam, neque immerito, nominis celebritatem nactus est Vir Clarissimus Jacobus Gregory, aliquot contineri Capita, in quibus praecipua explicentur medicamentorum genera; ea tamen, facto periculo, lectioni aptiora quam institutioni scholasticae visa sunt. Praeterea autem liber Clarissimi Gregory non singula continere videbatur theoremata atque praecepta, quae ad Therapiam generalem merentur referri. Complectitur quippe doctrina haec, praeter medicamentorum, quae generalia vocantur, scientiam, universam *sanandi philosophiam*, ita ut Pathologiam generalem, quae est communium in morbis doctrina, ad Praxin transferre doceat. Quemadmodum nimirum Pathologia generalis respondere conatur ad quaestiones,

quid morbi sint, quâ ratione oriantur, quos habeant effectus: sic Therapia universalis ab eo initium facit, ut doceat, easdem corporis vires, quae operantur ad morbum gignendum, praesidia quoque praebere ad affectiones morbosas sanandas. Unde apparet, hanc disciplinae partem, quam *Iatreusiogeniam* nonnulli vocarunt, iis opponi posse quaestionibus, quae in *Pathogeniâ* tractantur. Deinde autem in Therapia generali docetur, Medicum salutaria illa Naturae humanae praesidia non solum observare et intelligere, verum etiam imitari et regere posse, et eum in finem Naturam, quam vocamus externam, insignem suppeditare medicamentorum copiam. Quam igitur *universalem medicamentorum*, quibus tria Naturae regna abundant, *doctrinam* opponere licebit *Aetiologiae* morborum, quippe quae etiam ab externis sit repetenda. Denique in Pathologiâ generali non nisi universales recensentur morborum effectus: similiter in Therapiâ generali docetur, non quas singula medicamenta vires habeant, sed quid et quomodo agant praecipua medicamentorum genera. — Unde constat, Therapiam generalem summa et communia continere morbos cognoscendi iisque medendi praecepta, quorum per omnem Medicinam usus latissime pateat, et sine quorum scientia Medicus ne dentium dolorem quidem rite sanare possit. Si quis igitur optimum quaerat in arduo medendi negotio ducem, equidem *Interpretem Clinicum* nullum cognovi neque commendare possum meliorem, quam Therapiam eam generalem *Therapeuticae naturali* superstructam. Cujus discendae cupidi eorum peregrinatorum imitabuntur exemplum, qui,

regionem aliquam aut urbem cognoscere cupientes, antequam in singulas vias ire incipiant, in locum aliquem excelsum se duci patiuntur, quo melius in omnia simul intueri possint, et universam cognoscant rerum videndarum rationem, priusquam singula accuratius indagare incipiant. Adderem plura, nisi de commendando hoc studiorum genere praeclare verba fecisset Vir Clarissimus Nicolaus Paradys, cum in Oratione *de diligenti Therapeutices universalis studio, maximo recte medendi instrumento*, tum in Lectionibus publicis *de vera Medicinae theoreticae ratione, ejusque finibus.*

Me non immerito laudasse scripta, quibus optime de Medicinâ meriti sunt Nicolaus Paradys et Jacobus Gregory, praeclara olim Academiae Lugduno-Batavae et Edinburgensis lumina, nemo negaverit, qui illius Opuscula Academica, anno **1813**, L. B. a filio edita, hujus autem Conspectum Medicinae theoreticae, librum bonae frugis plenissimum, iterum iterumque legendo cognoverit. In utroque scriptore doctrinam longo usu subactam et ab omni partium studio alienam, praeclaram observandi industriam, miram in videndâ morborum affinitate et in eruendis communibus medicamentorum effectibus sagacitatem atque ingenii acumen, prudentem rationis usum, magnam in dicendo perspicuitatem, verborum elegantiam, simplicis sensum et veri amorem adeo mirari oportet, ut optimi sint Medicinae cum discendae tum docendae magistri. Quam ob rem nemini mirum videbitur, me ipsa quandoque Clar. Gregory verba, quippe quae disertissima sint, in usus meos convertisse; quod tamen non feci, quin ubique ipsius nomen memorarem.

Idem feci ubi Voltelenii aliorumve scripta usurpavi, quorum libri notissimi sunt.

Post aetatem vero, quâ scripserunt Voltelenius atque Clarissimus Gregory (quorum hic anno hujus seculi vicesimo primo, senex factus, diem obiit supremum, ille anno millesimo septingentesimo nonagesimo quinto, in ipso aetatis vigore exstinctus est), praeter medicamentorum doctrinam, Physiologia potissimum insignes fecit progressus. Ad hodiernam igitur scientiae medicae lucem, quantum hoc facere licuit, ea, quae scripsi, accommodare conatus sum. Quâ in re judicandâ hoc tamen tenendum est, universalia medendi praecepta, longo usu superstructa, nunc eadem esse, quae fuerunt Hippocratis aut Boerhaavii tempore. Praeterea incerta, dubia, fallacia, ex merâ hypothesi ducta, si nunquam non in doctrinâ medendi, maxime certe in ejusmodi enchiridio, ad institutionis domesticae usum destinato, sedulo evitanda sunt. Quid enim juvat, rerum quarumvis reddere rationem posse, nodos difficiles ingenii acumine solvere, quae sensuum aciem cautaeque rationis solertiam fugiunt, naturae arcana conjecturis et quâdam veluti divinatione explicare, ut qui per somnium detegat, quod vigilanti scire negatum sit? Si quis dubitet, legat praeclaram, ex quâ verba haec desumta sunt, Hieronymi Davidis Gaubii Praefationem ad editionem alteram Institutionum Pathologiae medicinalis. Denique, ut hoc cum Gaubio addam, viva auctoris vox illustrationem promittit. Si quis igitur miretur, me in explicanda medicamentorum actione, substitisse in generalioribus, neque mentionem fecisse de

conjecturis, quas Medici recentiores de eo doctrinae genere protulerunt, id velim, non ignorantiae, sed consilio tribuat. Usum enim spectavi in singulis, neque multum curavi ea, quae in sanandi negotio nullam operam praestare valent.

Neque etiam ab hoc Medicinae tempore magis quam ab aetate, quâ Orationem habuit Paradysius, alienum esse argumentum, quo explicando discipulis prodesse conatus sum, quisque largietur, qui altius res nostras perspexerit. Testor frequentem venenorum usum, quem apud nonnullos adeo invaluisse videmus, ut quotidie iis utantur, magisque experiri velle videantur, quid Natura ferat, quam faciat. Testor eorum Medicorum insolentiam, qui ad morbi nomen potius, quam ad ipsam hominis aegrotantis naturam, suam componunt agendi rationem. Testor inconcinnam medicamentorum plurium conjunctionem, in qua saepissime omnis simplicitas Batava deëst. Testor recentissima Artis nostrae fata, regnante morbo gravissimo, qui toti fere Europae insignem attulit cladem, in quo quippe manifestissime constiterit, per quam incertos ac vacillantes gressus Medici ad lectos aegrotantium accedant, si Therapiae generalis praecepta negligunt, solliciti maxime de quaerendis medicamentis, quae semper salutem sint allatura. Sed veritas odium parit; adeoque tacebo alia, quae cum apud nos, tum apud alios minus laudanda videntur.

De ordine scriptionis paucissima dicenda habeo. Omnis, ut facile apparet, doctrinae difficultas in eo posita est, ut judicatu sit difficillimum, quas corporis affectiones pro simplicioribus et communibus haberi oporteat. Si enim com-

parentur, quae a tempore Themisonis et Thessali, in hunc usque diem, de hoc argumento prolatae fuerunt Medicorum sententiae, videmus, alios non nisi partium solidarum cohaesionem strictiorem aut laxiorem, alios vitiatam sanguinis et reliquorum humorum copiam, aut depravatam eorum naturam, alios virium vitalium abundantiam aut inopiam, alios alia summo loco posuisse, eaque pro communibus morborum compositorum causis aut elementis, quae a Galeno κοινότητες dicebantur, habüisse. In qua opinionum discrepantia ille prudentissime egerit, qui singulas corporis partes, singula corporis munera, varia denique, quae in homine notantur, virium genera, adeo conspirare statuerit, ut sine singulorum indagatione neque sanitas neque morbi explicari aut intelligi valeant. Cui sententiae, a Medicis plerisque probatae, ut majorem comparemus fidem et auctoritatem, pauca in hunc locum transferre liceat ex Oratione eâ saepius laudatâ, cujus quippe auctorem, in explicanda morborum origine, sagacissimum fuisse sciamus Biologiae fautorem ac vindicem.

« Nimirum (sunt Paradysii verba) quum haec sit corporis humani natura, ut firmis constet partibus et variis humoribus, quos illae continent, movent, regunt; habeatque infusam per omnia et omnia animantem Principii vitalis vim; atque debeat extrinsecus accipere, quae corpus instauret, nutrimenti materiem: cernitis, Auditores! quam copiosa hinc crescat communium corporis affectionum seges! Haec enim ut mittam, quae ipsis accidunt nutriendi instrumentis, sive pro salutaribus noxia, sive de salutaribus plus quam

pro virium modo adsumtum fuerit; canales certe aut relaxati impulsis nimium cedunt humoribus, aut duriores facti nimium iisdem resistunt; denique, rumpuntur. Ipsi vero humores nunc nimia succrescunt copia, nunc, posita naturali blanditie, varia inficiuntur acrimonia, nunc aut crassi fiunt nimium, ut, quibus fluere debebant, ingredi canales nequeant, aut attenuantur adeo, ut, quibus non oportebat, viis elabantur. Porro, aut cursu humores feruntur, quam par est, rapidiore; aut segnius moventur; aut directione prava in alias atque alias partes incumbunt. Ipsa denique vitalis principii efficacia, alias vividior justo majorem partibus ad stimulos sensum impertit, eadem torpet alias, aut fluxa nimis partibus non satis constanter inhaeret. Istae igitur affectiones; sive morbosae diatheses, sive ipsi morbi appellari debeant; quum aut per se singulae, aut plures modo vario conjunctae, corpori incidere possint; apparet, quam varia inde existant Therapeutices universalis Capita."

Hunc igitur summi Paradysii locum in primis secutus sum, ut, ordine probabili, praecipua morborum simpliciorum, quaeque contra hos faciunt, medicamentorum communium genera explicarem. Ut vero suam cuique laudem tribuam, libenter fateor, hac in re multum mihi profuisse, cum Cl. Gregory et Gmelini scripta, tum Praeceptorum, e quorum Schola prodii, et inter hos Illustrissimi Bernardi, praeclaram et ingenuam institutionem; cujus recordari non possum quin continuo ad omne id, quod bonum, utile et honestum est, me incitari sentiam.

Prolegomena.

§ 1.

Therapia vel Therapeutice est doctrina, quae de Medicorum ministerio agit: atque modum et praesidia explicat, quibus praecaventur, sanantur, mitigantur morbi.

§ 2.

Ut triplici huic consilio respondeat, niti debet cognitione accurata hominis cum sani tum aegrotantis. Neque minus cura hominis bene valentis ad Medicum pertinet, quam cura eorum, qui morbis decumbunt.

§ 3.

Constat hinc de nexu, quo Therapeutice cum reliquis disciplinis medicis cohaeret.

§ 4.

Nata est doctrina therapeutica e fideli observatione et intellectu eorum, quae in homine et extra hominem fiunt. Fontes igitur Therapiae sunt Experientia et Ratio.

§ 5.

Esse aliquam medendi scientiam, ex ingenti intelligas praesidiorum numero, quibus Natura morbis medetur, aut quorum usum indicat artifici.

§ 6.

Doctrina haec evidentiam, non mathematicam, sed empiricam habet. Certum hoc, quod in Therapia est, nititur unitate, simplicitate et ordine, quales Natura adhibet in quavis actione.

§ 7.

Si praesidia spectes, quae Therapia cum indicat, tum adhibet, in *medicam* et *chirurgicam* dividi potest.

§ 8.

Si ad consilium attendas, quod Therapeutice sibi proponit, in *generalem* et *specialem* dispescitur.

§ 9.

Therapeutice *generalis* morbos explicat simplices et generales (Graeci dixerunt diatheses), atque universalia remedia indicat, quibus sanandi sunt.

§ 10.

Specialis morbos interpretatur singulos, non solum genere sed specie quoque diversos, etiam compositos: nec praecipua tantum remediorum genera, sed singula docet adversae valetudinis praesidia.

§ 11.

Therapia generalis, praeter praecepta, morbos simplices et universales sanandi, probabilem proponit ejusmodi morborum theoriam.

§ 12.

Constat, artem morborum cognoscendorum, quâ medendi scientia potissimum nititur, necessario ad doctrinam therapeuticam universalem referri.

§ 13.

Complectitur ergo Therapia generalis praecepta universalia cum cognoscendi, tum sanandi morbos. « Artis curandi ambitum in duo capita (dividunt), in cognitionem corporum, quibus applicantur auxilia, et ipsam auxiliorum naturam." Galenus.

§ 14.

Doctrina haec summam habet utilitatem: clavis est ad Therapiam specialem, et acus nautica, qua Medicus regitur, ad aegrotantium lectos.

§ 15.

Ex usu et pretio, quod doctrinae huic tri-

buitur, rationalem Medicum ab empirico medicastro distinguas.

§ 16.

Etsi doctrinae hujus initia inveniantur apud Hippocratem, et licet Galenus libros de medendi methodo scripserit, Celsus tamen primus fuit, qui eam accuratius definivit ejusque locos principes explicuit.

§ 17.

Post renatas literas, seculo potissimum decimo quinto et sexto, Valescus de Taranta, Leonardus Fuchsius, Alphonsus Bertotus et Johannes Riolanus doctrinam hanc datâ operâ explicarunt, neque tamen abstinuerunt a Galeni et Arabum subtilitate atque minutiis.

§ 18.

Seculo decimo octavo, disciplina haec fautores et interpretes habuit Boerhaavium atque Hoffmannum.

§ 19.

Exeunte seculo praecedente et nostrâ aetate, Therapiam universalem Angli potissimum perfecerunt, Andreas Duncan, Thomas Whiters, Philippus Lobb, Jacobus Gregory. In Germaniâ excelluerunt Heckerus, Hufelandius et Gmelinus.

§ 20.

Inter auctores memoratos maxime commendari merentur Jacobus Gregory atque Gmelinus.

J. Gregory, Conspectus Medicinae theoreticae etc. Edinburg 1782. II vol. 8vo; edit. octava, ibid. 1830, uno vol.; form. 8va.

F. G. Gmelin, Allgemeine Therapie der Krankheiten des Menschen. Tübingen 1830. 8vo.

PARS I.

De cognoscendis morbis.

CAPUT I.

De iis, quae ad morborum cognitionem sunt investiganda.

§ 21.

Res, in quas Medicus inquirere debet, ut morbos cognoscat, vel ad aegrotantem pertinent, vel ad externa, in quorum contubernio vivimus.

§ 22.

Examen aegrotantium vel *praeterita* spectat, vel *praesentia*, vel *futura*.

§ 23.

Anamnesi vel praeteritorum cognitione indigemus; 1) ad causas morborum investigandas; 2) ad faciliorem et certiorem eorum diagnosin; 3) ad judicium de morborum gravitate atque periculo.

§ 24.

Ut ea, quae praecesserunt morbum, cognoscas, attendendum est; 1) ad aetatem, sexum, temperamentum, corporis habitum et aegrotantium constitutionem; 2) ad effectum, quem externa, sive universalia sive propria sint, ratione directa vel indirecta, in aegrotantem habuerunt; 3) ad indolem morborum, qui antea obtinuerunt; 4) ad symptomata praesentia, quae praeteritorum habentur indicia, ut v. c. sunt foveae cutaneae post variolas, cicatrices in collo post scrophulam, oculorum lippitudo post syphilidem etc.

§ 25.

Ut morbo feliciter medeatur, Medicus in primis attendat ad praesentium rationem. Quae praesentium cognitio, *diagnosin* dicunt, necessaria est; 1) ad dignoscendam morbi formam et indolem; 2) ad aptam illius curam; 3) ad exitus futuri praescientiam.

§ 26.

Ad formandam justam morborum diagnosin, inquiras; 1) in ea, quae § 24 jam recensuimus; 2) in signa, quae in totius corporis habitu obvia sunt (*qualitates sensibiles alienatas* dicunt); 3) in actiones laesas et sensationes molestas; 4) in ea, quae a corpore excernuntur morbique causae sunt vel effectus.

§ 27.

Prognosis artem complectitur cum praevidendi morbum, tum, praesente morbo, praesciendi et praedicendi mutationes futuras et exitum. Quae futurorum divinatio Medico prodest, 1) ut satisfaciat aegrotis eorumque familiaribus, jure suo scire cupientibus, quid sperandum metuendumve sit; 2) ut sibi conciliet, alat, augeat aegrotorum fiduciam, suamque simul tueatur famam; 3) ut mature morborum ortum et mutationes praevideat, quo imminens arceatur periculum; 4) ut promoveat Euthanasiam.

§ 28.

Nititur haec divinandi ars accuratâ anamnesi atque diagnosi. Prae aliis autem Medicus attendat, 1) ad universam aegrotantium constitutionem; 2) ad naturam causarum, quae produxerunt morbum, et

ad indolem morbi ipsius; 3) ad symptomatum diuturnitatem, continuum progressum et vehementiam; 4) ad virium rationem; 5) ad conamina Naturae, salutem propriam propugnantis; 6) ad animi pathemata et universam illius rationem.

§ 29.

Rite cognitis, quae ad aegrotantem hominem pertinent, inquirendum est in *externa.*

§ 30.

Attendatur ad aëris atmosphaerici rationem, ad anni tempus, ad ventorum indolem, ad aquarum et locorum diversitatem.

§ 31.

Neque minus ratio habenda est muneris, quo fungebatur, artificii, quod exercebat, opificii, quo victum quaerebat aegrotus: neque perinde est, utrum domi res angusta sit, an vero in conditione lautiori vivatur.

§ 32.

Attendas ad habitaculum, ad locum, ubi decumbat aeger, ad vestes, ad lecti rationem, ad diaetam et ad vivendi genus.

§ 33.

Ad familiares, amicos, adstantes, curatores et curatrices, quorum quippe negligentia aut male sedula diligentia aegrotantibus saepissime obsint.

CAPUT II.

De modo et praesidiis, quibus morborum fit exploratio.

§ 34.

In aegrotantium examine, tria sunt investigatio-

nis adjumenta, *observatio*, *interrogatio*, *exploratio*.

§ 35.

Ad observandos morbos faciunt visus, tactus, auditus, olfactus, gustus.

§ 36.

Visu judicium fert Medicus de volumine, forma, colore corporis singularumque partium: praeterea de universo habitu, de faciei oculorumque ratione, de decubitu et similibus. Excrementa etiam et modus, quo functiones quaedam corporis obtinent, visu explorari possunt.

§ 37.

Tangitur pulsus, ut de functionum vitalium ratione constet. Praeterea tactu exploramus, utrum stricta an laxa sit, rigida an tenera, dura an mollis, aspera an laevis, sicca an humida, calida an frigida cutis, vel universi corporis, vel partium singularum.

§ 38.

Morbis quibusdam proprius est odor peculiaris: saepe etiam per os vel per nares foetorem spargunt partes internae. Urinae quoque et faecum indolem foetor quandoque declarat.

§ 39.

Auditu constat de aegrotantium voce et loquelâ, de statu respirationis, de fracturis ossium etc. Adhibetur quoque auditus, ut percussione *Avenbruggeri*, stethoscopo *Laenneci*, plessimetro *Piorryi* similibusque explorationis adjumentis, inquiratur in pectoris et abdominis morbos.

§ 40.

In diabete mellito aliisque morbis, quandoque gustu explorarunt Medici excrementa corporis.

§ 41.

Non solum aegrotantium responsa ad quaestiones ipsis propositas audienda sunt, sed etiam ex iis elicienda est rerum narratio, quae cum corporis, tum animi conditionem declarare solet.

§ 42.

In morbis, quibus infantes, homines debilissimi, non conscii sui, delirantes, et maniaci decumbunt, interrogari oportet matres, nutrices, familiares atque adstantes.

§ 43.

Aegrotos interrogaturi, cum praeterita, tum praesentia spectamus.

§ 44.

In quaestionibus suis Medicus sit sedulus indagator causarum morbi praedisponentium et occasionalium: percontetur de aetate, de vita ante acta, de loco natali, de familiaribus, de habitationis loco, de vivendi genere, de munere quo functus est aeger, de corporis fabrica et functionibus praecipuis, de animi pathematibus, de evolutionis periodis, de morbis praegressis: inquirat dein, an diaetae errores, subita aëris mutatio, excretionis cujusdam suppressio, aut alia, occasionem morbo praebuerint.

§ 45.

Quod attinet ad praesentia, roget Medicus de morbo ipso, de causis, de symptomatibus.

§ 46.

Ratione morbi, roget de illius origine, progressu, sede, vehementia, mutationibus; deinde inquirat, num hae ex natura morbi, vel post medicamentorum usum, vel per causas fortuitas obtinuerint.

§ 47.

In investiganda morborum aetiologia, occasionales potissimum causas discere potest Medicus interrogando.

§ 48.

In symptomatum examine, eornm vehementiam, continuitatem, nexum, et quae alia sunt, spectat.

§ 49.

Ut in symptomatum investigatione rite procedamus, rogandum est de praecipuarum corporis functionum conditione, de sensationibus molestis, de excrementorum ratione.

§ 50.

Tertium investigationis praesidium est exploratio partis affectae, sive manu nuda fiat, sive armata speculo, stethoscopo, specillo aliisque.

§ 51.

Chemica etiam exploratio eorum, quae e corpore excernuntur, in investiganda morborum natura lucem praebere potest.

PARS II.

De sanandis morbis.

SECTIO I.

Praecepta generalia de arte medendi morbis.

CAPUT I.

De Therapeutice naturali, sive de praesidiis, quae Natura habet ad sanandos morbos.

§ 52.

Voce Naturae, secundum Sydenhami, Baglivii

aliorumque definitionem, complexus significatur causarum vel virium naturalium, homini tum sano, tum aegrotanti insitarum, quae, quamvis per se brutae sint, summo tamen consilio reguntur, atque secundum certas et constitutas leges, ad corporis salutem coöperantur.

§ 53.

Naturalia haec sanitatis et adversae valetudinis praesidia ideo accuratius merentur perpendi, quia medendi ars non solum prima inde cepit initia, sed et his ipsis Naturae viribus ita innititur, ut sine illis exquisitissima Medicorum industria nihil proficiat. Ut Aëtius habet: χρὴ ἐπιστήμονα τῶν φύσεως ἔργων εἶναι τὸν ἰατρόν.

§ 54.

Esse aliquam Naturae virtutem medicatricem, cum ratio tum experientia docet. E cognita corporis viventis ratione eam augurari licet, ab iis, quae ad aegrotantium lectos fieri videmus, evidentia conjecturae probatur.

§ 55.

Ratione docemur, corpus organicum, vitam tuendi speciemque propagandi facultate instructum, ejusmodi vires habere, quibus vitae impedimenta arcere, potentiarum nocentium vim destruere, turbatum oeconomiae aequilibrium restituere possit.

§ 56.

Experientia docet: 1) hominem, in quo semina morborum quam plurima insunt, quemque magnae virium nocivarum multitudini expositum dicas, sanum vegetumque saepissime vivere; 2) nullum morbum esse, qui non saepissime sanatus sit, Na-

turae soli relictus; 3) morbos sanari secundum methodos diversissimas artis, adeoque sanationem plerumque opificium esse Naturae. Hufelandius.

§ 57.

Quamvis Therapeutice naturalis pro fundamento habeat eandem vim vitalem, quae corpus tuetur, doctrinae tamen ergo, in plures quasi dispescitur facultates, singulas corpori nostro concessas ad maximam a morbo et morte tutelam.

§ 58.

Inter has Naturae facultates, sive instrumenta sanitatis naturalia, in primis notare oportet:

I. Facultatem corporis nutrientem, qua fit, ut quaevis hujus, continuis vitae actionibus expositi, jactura reparetur, et ut humorum in corruptelam proclivitas arceatur.

§ 59.

II. Reparationem partium, quae integritatis damnum, aut jacturam aliquam expertae sunt: quo referas sanationem vulnerum, ulcerum, fracturarum.

§ 60.

III. Varia Naturae praesidia, quibus rerum nocentium stimulos impedire, cohibere vel minuere conatur: exemplo sint nictitatio oculorum, uberior lacrymarum secretio, inaequalis ossium superficies quae absorptione rotundatur.

§ 61.

IV. Ipsius corporis, rebus nocivis irritati, commotionem et reactionem: pertinent huc potissimum febris, nonnunquam etiam spasmi, convulsiones similesque motus, praesertim, quod ad vim vitae referri meretur, cursus placidi et aequalis studium.

§ 62.

V. Eorum, quae praeter naturam sunt, sive a foris ingesta sint, sive in corpore ipso fuerint genita, assimilationem, coctionem, subactionem: quo pertinent πεπασμός, crises, suppuratio.

§ 63.

VI. Eorum, quae morborum causae vel effectus sunt, per consuetas aut inconsuetas vias excretionem: quo referas haemorrhagias, ptyalismum, expectorationem, vomitum, diarrhoeam, sudores, diuresin, abcessus, ossium exfoliationem etc.

§ 64.

VII. Salutares metastases et metaschematismos morborum.

§ 65.

VIII. Sensationes molestas atque dolores, quibus vitae custodibus Natura de praesente noxa mature monet, et ad medelam quoquo modo quaerendam impellit.

§ 66.

IX. Partium facultatumque consensum, conspirationem et antagonismum.

§ 67.

X. Salutares Naturae effectus, qui ex organica partium fabrica illarumque viribus et proprietatibus proxime proficiscuntur: quo referre licet contractionem spontancam uteri et abdominis post partum, mammarum post lactationem, vasorum minorum post dissectionem.

§ 68.

XI. Facultatem assuescendi, quâ duramur ad innoxie ferendum innumera, quae nec evitare nec removere licet.

§ 69.

XII. Mentis humanae conamina, quibus corpus suum curat, et periclitantem sanitatem tuetur.

Conferri merentur *Gaubii* Institutiones.

§ 70.

Naturalia haec adversae valetudinis praesidia perpetuae observationis sunt, adeoque Naturae auctoritate nituntur. Hippocratis, Boerhaavii, Sydenhami et optimorum, quocumque tempore vixerint, Medicorum scripta exemplis abundant, quibus luculenter constat de provida Naturae hnmanae in sanitate servanda morbisque sanandis cura.

§ 71.

Neque tamen acquiescere licet in solis observationibus; quae visa sunt, explicare studeat Medicus, ut omnem teneat Therapeutices naturalis rationem.

§ 72.

Quae Naturae interpretatio nec difficilis, nec obscura, nec dubia est, si vires et leges oeconomiae animalis rite intelligamus. Ex his sanatio non minus explicari debet, quam morborum origo et incrementum.

§ 73.

Plura Naturae humanae conamina salutaria cum e legibus instinctus naturalis, tum e proprietatibus mentis et animi explicari oportet.

§ 74.

Magnam lucem praebent ipsius corporis proprietates, robur vitale, sensilitas, irritabilitas, contractilitas, nutritionis negotium, assimilandi facultas, vis reproductiva, quaeque has regunt, agendi leges. Quo referatur etiam doctrina de secretionum lege,

de vasorum lymphaticorum actione, de stimulis idiopathicis et sympathicis, de irritamentis denique, quae brevioris aut longioris sunt durationis (leges consuetudinis). Conf. Hufelandius.

CAPUT II.

De Artis facultate in observandis, imitandis et regundis Naturae viribus.

§ 75.

Naturae Auctoris beneficio, homini in praeclara sensuum fabrica optimum concessum est observationis et explorationis praesidium. In sensibus integris et exercitatis facultas residet ad Naturae vocem audiendam, et ad ea, quae operatur, videnda.

§ 76.

Praeter sensus, ratione multiplici explorantes, homo ad intellectum Naturae, praeclaras nactus est ingenii vires, quae, si rite fuerint cultae, ab omni parte sufficiunt ad ea intelligenda, quae ipsum scire oportet.

§ 77.

Quum Medicus ingenio et judicio adjutus, Naturae phaenomena, quae sensuum ministerio percepit, inter se comparare, et ad causas quaeque suas referre possit, valet etiam, quas Natura in agendo sequitur, scrutari et cognoscere leges.

§ 78.

Post Naturae observationem et intellectum, facilis ejusdem est imitatio. Hac imitandi facultate homo per excellentiam pollet. Qui simplex mi-

ratus est remediorum naturalium genus, in victu congruo paucisque medicamentis plura facile inveniet, quibus illorum imitari possit effectus.

§ 79.

Si Medico liceat Therapeuticen naturalem arte imitari, sequitur, eundem satis facile fungi cum Naturae ministerio, tum ejusdem regimine et adjumento.

§ 80.

Ut homo Naturae ministri, adjutoris et rectoris provinciam sustinere possit, a Naturâ ipsâ ea accepit praesidia, quibus utendum est, ut vel calcar addat vitae languenti, vel effrenes motus cohibeat.

§ 81.

Quamvis vires Naturae medicatrices in iis hominibus, quibus mens sana est in corpore sano, quique moderato et congruo vivendi genere utuntur, optima sint sanitatis servandae et restituendae praesidia, neutiquam tamen morborum sanatio semper Naturae soli potest relinqui.

§ 82.

Artis necessitatem vindicant; 1) Exempla hominum, qui nascuntur corpore debili, imperfecte evoluto, aut quibus vitia haereditaria, congenita, insunt; 2) Societatis humanae ratio, luxus et sensuum illecebrae, dissolutum vivendi genus et quae alia regularem Naturae actionem turbant; 3) Morborum exempla, in quibus Naturam vel parum vel nihil valere, docuit usus; 4) Ipsarum virium, quae corporis salutem tuentur, errores, ita ut justo citius vel nimio impetu, justo tardius vel debilius, incautius vel viâ longiori, molimina sua instituant.

§ 83.

Naturam justo citius, nimiâ virium intentione, impetu non interrupto, actionem suam in morbis praestare videmus, si magnum sit corporis robur, si causa faciens morbum impetuosa sit totumque in consensum rapiat corpus, si magna sit vel totius corporis, vel singularum partium sensilitas et irritabilitas.

§ 84.

Quod si fiat, Artis est, Naturae festinationem, impetum, vehementiam temperare.

§ 85.

Agendi tarditate vel impotentiâ Therapeutice naturalis notatur, suppresso virium vitalium genere, morbi causis malignis, obscuris, morbo gravi atque continuo.

§ 86.

Naturae consulat Medicus, causas, quae vires supprimunt, removendo, naturalia, quae torpent aut justo debiliora sunt, sanitatis praesidia sustentando, erigendo, excitando, roborando.

§ 87.

Impedimenta varia, morborum potissimum complicatio, cura Medici inepta, a justo tramite ducere possunt Naturam, ita ut haec viam ingrediatur taediosam, periculi non expertem.

§ 88.

Medici officium cernitur in Natura regunda, eâque in securam viam reducendâ.

§ 89.

Ut Medici munus plerumque in observanda et imitanda Natura versatur, sic quandoque in regun-

dis, augendis, aut minuendis Naturae viribus, artificis officium cernitur.

§ 90.

Constat hinc, aliam esse Medicinam *exspectativam*, aliam Medicinam *activam*. Quemadmodum nihil faciendo Medicus saepe prodesse censetur, sic quandoque officium exigit actionem.

§ 91.

Ut limites sciat, quibus utrumque Medicinae genus est circumscriptum, Medicus probe teneat indolem morbi, decursum ejus naturalem, virium vitalium conditionem, modum et tempus, quibus juvare solet Natura,

§ 92.

Aliud igitur Naturae, aliud Artis officium est, quapropter suam cuique laudem tribui oportet.

§ 93.

Quo magis haec calleat Medicus, eo doctioris et peritioris artificis nomen meretur, eo felicius morbis medebitur.

§ 94.

Secundum Celsi praeceptum, non profuisse, quam nocuisse, minus est malum.

CAPUT III.

De medendi consilio et de sanationis diversitate.

§ 95.

Quae Naturae et Artis auxilio fit, *sanatio*, morbi est in sanitatem mutatio.

§ 96.

A quâ distinguitur *curatio*, quippe cujus labor praecipue versetur iis in rebus tractandis atque pro artis et artificis potestate, exsequendis, quae ad omne morbi tempus, omnemque morbi formam, tam sanabilem quam insanabilem, pertinent.

§ 97.

Ad utrumque *curationis* et *sanationis* negotium utimur cum victu et regimine, tum remediis, externis et internis.

§ 98.

Singula autem sanitatis adversae praesidia justo tempore et ratione legitimâ adhiberi oportet.

§ 99.

Quae praecepta tradit de justo et tempestivo medicamentorum usu, *doctrina indicationum* vocatur.

§ 100.

Indicatio quippe consilium est, quod Medicus format de sanando morbo, de sanandi modo et tempore, de praesidiis in eum finem adhibendis.

§ 101.

Complectitur adeo indicatio; 1) mutationem in corpore efficiendam; 2) medicamenta eo consilio adhibenda; 3) tempus et modum iis utendi.

§ 102.

In quovis autem medendi consilio, causae sunt, ut sic et non aliter constituat Medicus. Hae causae *indicantium* nomine insigniuntur, quare Boerhaavius *indicationem* dixit intellectum indicantis in Medico natum.

§ 103.

Indicantia igitur in aegrotante ejusque morbo quaerenda sunt. Petuntur potissimum a morbi indole, causis et symptomatibus.

§ 104.

Praeterea tamen aliae etiam conditiones, ne iis exceptis, quae *externa* dicuntur, *indicantia* esse possunt: aetas, sexus, temperamentum, corporis habitus, idiosyncrasia, consuetudo, vitae genus, aër, regio, anni tempus, et quae sunt alia.

§ 105.

Quapropter singula, quae Medicum faciunt certiorem de iis, quae ad sanationem facienda sunt, sive per sensus, sive per ratiocinium innotescant, *indicantium* nomen merentur.

§ 106.

Neque tamen (quae Voltelenii verba sunt) omnia et singula, quae in aegrotante conspiciuntur, phaenomena adeo semper et ubique conspirant, ut junctim Medici mentem instruant, quidque ipsi agendum sit, extra omnem dubitationem collocent. Interdum singula quaeque singulare quid indicant, aut contraria contrarium agendum dictant.

§ 107.

Hinc (Boerhaavio monente) nata est utilis illa et celebris doctrina *indicantis*, *contraindicantis*, *repugnantis*, *permittentis*, *coïndicantis*, *correpugnantis*.

§ 108.

Quae doctrina, licet non ab omni subtilitate aliena sit, magnam in Praxi habet utilitatem.

2 *

§ 109.

Indicantia illa sunt, quae Medico significant, quid agendum sit et quo modo.

§ 110.

Coïndicantia ejusmodi res et conditiones sunt, quae cum morbo praesente ejusque causis et symptomatibus nullum nexum necessarium habent, cum iisdem autem consentiunt in commendando medendi consilio, indicantium ratione superstructo.

§ 111.

Permittens dicitur, quod *indicanti* tam parum repugnat, ut Medico liceat hujus consilium exsequi.

§ 112.

Saepe autem res adeo diversae observantur, ut remedia non modo differentia, sed prorsus contraria et sibimet invicem opposita, postulent. Intelligitur hinc, quae sit *repugnantium* et *contraindicantium* notio.

§ 113.

Correpugnantia tandem dicuntur, ubi plura phaenomena simul concurrunt, quae aliquam indicationem fieri vetant. Volt.

§ 114.

Indicatum Voltelenio dicitur id, quod cognoscitur agendum, seu mutatio, quae a Medico est instituenda. Alii *indicatum* definiunt auxilii genus, quod eum in finem adhiberi debet.

§ 115.

Quum indicantia potissimum a morbi *indole*, *causis* et *symptomatibus* petantur (§ 103), indicationem etiam triplicis generis esse constat, vel ad

morbum adeo ipsum referri, vel ad *causas*, vel ad *symptomata.*

§ 116.

Indicatio, quae morbi ipsius sublationem potissimum spectat, *curatoria*, *therapeutica*, *radicalis* vel *essentialis* dicitur.

§ 117.

Quae morbum praecavere docet, indicatio *prophylactica* vel *praeservatoria* vocatur.

§ 118.

Quae a causis morborum sumitur indicatio, *causalis* appellatur. Respicit haec praecipue causas morborum remotas, cum in mente tum in corpore collocatas, tum etiam causas excitantes, quae corpori praedisposito induxerunt morbum. Neque enim indicatio *causalis* causam proximam, concursu priorum effectam, quaeque ipsa constituit morbum, complectitur, quia tunc cum *curatoria* conveniret.

§ 119.

Quod a symptomatibus ducitur medendi consilium, indicatio *palliativa*, *urgens*, *symptomatica* dicitur.

§ 120.

Quum in morbo quocumque ad virium vitalium rationem praecipue attendendum sit, mirum non est, ab his etiam indicationem quandoque petendam esse. Indicatio autem *vitalis* est, quae docet, vitam et vires in aegro superstites quovis modo conservare et in integrum restituere. Volt.

§ 121.

Ut vitalis indicatio omnium primaria et caeteris

longe antecedens habenda est, sic reliquis quoque medendi consiliis suus quibusque locus et usus est.

§ 122.

Quâ causam proximam adeoque morbum ipsum auferre studemus, indicatio *curatoria* summam habet utilitatem, et post vitalem, reliquis praeferri meretur. Dolendum autem, artem salutiferam nondum eam attigisse perfectionem, ut semper ad causam morbi proximam medicamenta accommodandi facultas sit.

§ 123.

Si remediis utimur, quibus causam morborum proximam, cognitam vel incognitam, experientia docti, auferri scimus, methodum *specificam* adhibemus. Exemplo sit corticis Peruviani usus in febre intermittente.

§ 124.

Causam morborum proximam, quaeque contra eam faciunt, medicamenta ignorantes, *remotas* et *occasionales* causas impugnare, et *indicationi causali* satisfacere studemus. Plerumque auferre oportet utrumque causarum genus, ut morbo rite medearis. De cujus indicationis dignitate constat e verbis Galeni: *Θεραπεία ἡ ἀναίρεσις τῶν ποιούντων τὰς νόσους αἰτίων.*

§ 125.

Indicatio *prophylactica* non solum ad aegrotantem hominem pertinet, sed ad regimen quoque sanitatis refertur. Vitrum, licet tenuissimum, non frangitur, si ab omni vi externâ abstinere scias.

§ 126.

Frequentissime tamen eadem utimur, ut in homine, ad peculiare aliquod morbi genus disposito, causas evitemus, occasionem praebentes; ut in morbis populariter grassantibus, miasmatis aut contagii vim arceamus; ut manifestas morbi cujusdam causas, antequam effectum praestiterint, auferamus, contagium hydrophobicum v. c., a rabido cane corpori humano inductum.

§ 127.

Medendi consilium, quod a symptomatibus petitur, usum habet: 1) in symptomatibus, quae sine discrimine ferri nequeunt, quando *indicatio urgens* vocatur; 2) in symptomatibus molestis, quae morborum sanationi obstant (*indicatio palliativa*); 3) in morbis insanabilibus, ut toleratu faciliores reddantur et ut promoveatur Euthanasia (*indicatio mitigatoria*); 4) in morbis novis, incognitis aut pertinacissimis (indicationem dicunt *empiricam*, *symptomaticam.*)

§ 128.

Ex iis, quae de vario indicationum genere diximus, satis perspicuum est, in eodem interdum morbo plura simul oritura esse medendi consilia, quibus vel eodem tempore, vel aliis post alia, prout res postulaverit, satisfacere debet Medicus. Hinc longa persaepe experientia et acri judicio opus est.

§ 129.

Ut Medicus se expediat hac medendi difficultate, juvant proinde praecepta quaedam generalia, quae Hippocratis, Boerhaavii aliorumque principum Medicorum auctoritate nituntur.

§ 130.

1) In ancipiti casu, ad indicantium dignitatem attendat Medicus et digniori indicationi, quae maximum ad vitam sanitatemque momentum habet, prae reliquis satisfaciat. Volt.

§ 131.

2) Cuicumque indicationi, si nihil repugnat, satisfiat viâ brevissimâ. Volt.

§ 132.

3) Abstine, si methodum nescis. Boerh.

§ 133.

4) Multum et derepente evacuare, aut replere, aut calefacere, aut refrigerare, aut aliter quocumque modo corpus movere, periculosum est: omne nimium enim naturae est inimicum. Quod vero paulatim fit, tutum est: tum alias, tum si quis ex altero ad alterum transeat. Hipp. II. 51.

§ 134.

5) Boni et sapientis Medici est ad Naturae conatus, et aegri desideria, et experientiam rerum quae juvant vel laedunt, omni attentione respicere, et ab iis saepe doceri, et in arte sua exercenda dirigi. Gregory.

§ 135.

6) A multo tempore consueta, etiamsi fuerint deteriora, insuetis minus turbare solent. Hipp. II. 50.

§ 136.

7) Ad aetatem, sexum, temperamentum, vitae genus et idiosyncrasiam Medicus numquam non attendere debet.

§ 137.

8) Medendi quorundam methodus meticulosa, lenta, insipida fere tam periculosa est, quam alio-

rum temeraria, nullâque ratione excusanda empiria. Illi saepius tempus dimittunt et opportunitatem nunquam reparabilem; dum hi temerario quodam impetu aegrotantes, brevissimo tempore, ad Inferos mittunt. Huxham.

§ 138.

9) Multa in praecipiti periculo recte fiunt, alias omittenda. Cels. III. 18.

§ 139.

10) Saepe etiam pertinacia juvantis malum corporis vincit. Cels. III. 12.

§ 140.

11) In mitiori malo, sensim et repetendo, danda sunt remedia leniora. Boerh.

§ 141.

12) Omnia secundum rationem facienti, et non secundum rationem evenientibus, non transeundum ad aliud, manente eo, quod visum est ab initio. Hipp. II. 52.

§ 142.

13) Neque tamen eadem omnibus in similibus casibus opitulantur, quare circumspecti hominis est, novare interdum, et augere morbum, et febres accendere: ubi enim id quod est non recipit curationem, ipsam potest recipere id quod futurum est. Celsus.

§ 143.

14) Cavendum, ne omnia effecta, quae remedii alicujus usum sequuntur, ipsi tanquam causae semper tribuantur. Volt.

§ 144.

15) In praescribendis remediis Medicus quam maxime studeat simplicitati: nec adeo molem aut

numerum, sed concisam brevitatem, affectet. Gaub. Qui multis promiscue et passim utitur, nulla probe noscit. Magnum est paucos habere amicos.

§ 145.

16) Medici, ut Livius ait, plus interdum quiete, quam movendo et agendo proficiunt.

§ 146.

17) Indicatione incerta, maneas in generalibus. Numquam aliquid magni facias, ex mera hypothesi aut opinione. Stoll.

§ 147.

18) Morbis occurrendum in principio et remissionibus vel intermissionibus, sed non in summo paroxismi vigore, nisi ut satisfiat indicationi urgenti.

§ 148.

19) Tuto, celeriter, jucunde curare, id votum est, sed nimium periculosa fere solet esse et festinatio et voluptas Cels. III. 4.

§ 149.

20) Neque cubantium luxuriae subscribere, neque molesti hominis vicem exhibere, Medico convenit.

§ 150.

His praeceptis imbutus, Medicus remedia ita accommodet morbis, ut et universali eorumdem naturae, et peculiari aegrotantis constitutioni respondeant.

CAPUT IV.

De universa medicamentorum ratione, atque de modo quo, et de viis, per quas operari videntur.

§ 151.

Medicamentum est, quidquid in corpore aegro-

tante mutationem salutarem efficit, aut deperditam sanitatem restituit.

§ 152.

Materiam medicamentorum universa Natura ministrat, ita ut singula, in quorum contubernio homo vivit, saepissime sanationis sint instrumenta.

§ 153.

Virtutes eorum mortalibus innotuerunt: 1) casu fortuito; 2) e spontaneo aegrotantium appetitu; 3) e naturali in brutis animalibus instinctu; 4) ex eventu haud praeviso, opinioni contrario; 5) ex institutis extra corpus experimentis; 6) e physicis et chemicis medicamentorum proprietatibus; 7) ex attenta, quae primum locum meretur, effectuum observatione, ductaque hinc casta analogia. Volt.

§ 154.

Doctrina, quae circa medicamentorum cognitionem versatur, Pharmacologia dicitur.

§ 155.

Haec, pro vario cognitionis medicamentorum fonte, commode dispescitur in *historicam*, *chemicam*, *therapeuticam*.

§ 156.

Pharmacologia *historica* tradit: 1) Habitum et proprietates externas, atque characteres generis, speciei et varietatis, quibus medicamina invicem dignoscuntur; 2) Nomina, quibus designantur, cuique propria, et synonyma; 3) Solum natale atque originem, cum mutationibus, quas clima et cultura diversa inferunt vegetabilibus; 4) Inventionem et fata; 5) Tempus modumque colligendi et conservandi idonea; 6) Criteria sensibus externis obvia,

quibus vera a spuriis fictitiisque, bona a vitiosis, discerni commode queunt. Voltel.

§ 157.

Pharmacologia *chemica* agit: 1) De medicamentorum principiis constitutivis, eorum proprietatibus et ingenio, proportione ac mixtione; 2) de mutata eorum indole, sub artificiosa praeparatione et mixtione, et phaenomenis hinc apparentibus; 3) de methodo medicamenta praeparandi et conjungendi optima. 4) de artificio cum segregandi noxias vel inertes, quae his insunt, partes; 5) tum detegendi abditas bonitatis vel pravitatis notas; 6) de relationibus, quas cum humoribus corporis habent, vel diversis menstruis subacta acquirunt, medicamenta; 7) de forma denique apta, sub qua possunt debentque propinari. Voltel.

§ 158.

Pharmacologia *therapeutica* exponit: 1) Actionem medicamentorum generalem; 2) Virtutes singulis proprias; 3) Legitimam et rationalem eorum juxta vires et indicationes applicationem; 4) Tempus, ordinem, modum, dosin, selectum, pro variis morbi atque subjecti conditionibus diversa. Voltel.

§ 159.

Unde intelligitur, plura *Pharmacologiae therapeuticae* Capita ad forum Therapiae universalis jure suo referri.

§ 160.

Doctrina, quae actionem medicamentorum generalem explicat, et quae tota hujus loci est, recentiori tempore, peculiari *Pharmacodynamices* nomine insignita est.

§ 161.

Dolendum autem, quod de generali medicamentorum actione paucissima hactenus innotuerint.

§ 162.

Agendi modus repetendus est, cum ex ipsius remedii qualitate, quam dicunt, varia, tum ex vitali corporis ejusque partium indole.

§ 163.

Hinc constat, ad effectus, quos a remedii usu videmus, praeter illud, quod corpori ingeritur, corpus ipsum, eximia instructum sensilitate et facultate reagendi, suam conferre symbolam.

§ 164.

Intelligitur hinc, medicamentorum actionem non pro simplici, sed potius pro composita esse habendam.

§ 165.

In medicamento autem non proprietates singulas, sed omnium virium et proprietatum complexum notari et investigari necesse est.

§ 166.

Simili ratione, ad omnes, quibus corpus instructum esse constat, proprietates, cum vitales, tum physicas, vitae tamen imperio subjectas, in medicamentorum actione, attendere debemus.

§ 167.

Ex duplici autem, cum *medicamenti* tum *corporis ipsius* actione sequi videtur, mutationem salutarem, quae in corpore obtinet, pro novo habendam esse virium vitalium excitatarum producto.

§ 168.

His quippe viribus, medicamenti auxilio, in ac-

tum deductis, novi nascuntur effectus antea latentes, a quibus mutatio in melius repetenda.

§ 169.

Ultra quam explicationem, vix eo nomine dignam, neque progredi licet, neque conjicere juvat.

§ 170.

Ad quaestionem, num in fluida an vero in solida agant medicamenta, respondendum videtur, utrumque partium genus obedire virium vitalium imperio, adeoque posse praeter solida, fluida quoque et aegrotare et a medicamentis mutari.

§ 171.

Quum vero vitia humorum, ut postea docebimus, vel plerumque vel semper sint morbi secundarii, a vitiata solidorum actione oriundi, medicamenta quoque prius et magis in solida quam in fluida agere, probabile est.

§ 172.

Fluidorum enim et vitam et morbos moderari praecipue videntur cum vasorum, tum nervorum, tum denique organorum, quae ex his composita sunt, secernentium ac resorbentium proprietates vitales.

§ 173.

Praeterea remedii administrandi ea est ratio, ut, si excipias, quae rarius fit, injectionem in venas, solida prius quam fluida medicamenti stimulum videantur percipere.

§ 174.

Duplex autem via est, per quam remedia actionem suam in corpus exercent, per vasa absorbentia scilicet atque per poros, quos dixerunt organicos.

§ 175.

Absorptionis auxilio, quo officio funguntur vasa lymphatica, aliquas medicamenti partes, sive corpori per os fuerit inductum, sive clysmatis formâ fuerit administratum, sive cuti integrae, vulneratae fuerit impositum, in succum et sanguinem verti, cum observationes, tum experimenta satis luculenter docuerunt.

§ 176.

Per poros autem, quos dixerunt alii organicos, inorganicos alii, id est ratione obscurâ, insensili, transitus concedi videtur materiei caloris, lucis, fluido electrico, galvanico, fortasse etiam magnetico.

§ 177.

Atque haec pauca sunt, quae hactenus innotuerunt de universa medicamentorum ratione, de modo, quo, et de viis, per quas operari videntur. Recte enim praecepit Celsus: « Medicinam debere ab evidentibus instrui causis, obscuris omnibus, non a cogitatione artificis, sed ab arte rejectis."

CAPUT V.

De medicamentorum usu, ad omnem aegrotantium conditionem, ad externa et ad universam morbi rationem componendo.

§ 178.

Felicius is medebitur, qui sagax remedii exhibendi occasiones captat, quive repertae indicationi potius, quam specificae remediorum virtuti confidit. Stoll.

§ 179.

Ut autem de tempestivo constet medicamentorum usu, necesse est ad plures conditiones attendere cum *aegrotantem*, tum *externa*, tum *morbum* ipsum spectantes.

§ 180.

In aegrotante homine, *aetatis*, primo loco, habenda est ratio, quoniam constat suam cuivis aetati esse sanitatem suamque aegrotandi et convalescendi rationem.

§ 181.

Primam vitae aetatem magnis obnoxiam periculis faciunt partium solidarum imbecillitas, incrementi celeritas, nutritionis negotium ingens, sensilitas eximia, consuetudinis defectus, auctior vasorum lymphaticorum actio. Frequentes sunt primarum viarum, systematis lymphatici, glandularum, ossium, cerebri et nervorum morbi.

§ 182.

Pueri rarius aegrotant quam infantes. Vitae organicae morbos cum iisdem habent communes. Propter majorem industriam, quae in roborandis musculis et ossibus ponitur, frequentes sunt harum partium morbi. Praeter vasa lymphatica, ea, quae sanguinem vehunt, vitam auctiorem habent, unde narium haemorrhagiae, morbi febriles et inflammatorii.

§ 183.

Juvenibus est maximus corporis vigor: functiones omnes celeriter peraguntur: animus pathematibus agitari incipit. Ad eximiam sensilitatem major accedit generis vasculosi irritabilitas: unde sanguinis

sputa, tabes, febres acutae, epilepsiae, insaniae. (Hippocr. III. 29). Accedunt pubertatis pericula, unde generis nervosi turbae, et congestiones frequentissimae, praesertim ad caput et pectus. (Hippocr. III. 27, 28.)

§ 184.

« Ultra hanc aetatem vero progressis, asthmata, pleuritides, peripneumoniae, lethargi, phrenitides, febres ardentes, alvi profluvia diuturna, cholerae, dysenteriae, lienteriae, haemorrhoïdes." Hippocr. III. 30. Adultis igitur morbi magni sunt et periculo pleni, incorrupto corporis robore; fractis autem viribus incongruo vitae genere, morbi notantur chronici, abdominales potissimum, inter quos hypochondriasis et hysterica passio, ex majori sanguinis ad ganglia nervorum et ad infimum ventrem congestione.

§ 185.

« Senibus autem spirandi difficultates, catarrhi tussiculosi, stranguriae, dysuriae, articulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiae, mali corporis habitus, pruritus totius corporis, vigiliae, alvi, et oculorum, et narium humiditates, visus hebetudines, glaucedines, auditus gravitates." Hipp. III. 31. Quae morborum genera explicationem habent e majori fibrarum rigiditate, ex imminuto functionum, secretionum praecipue, vigore, e motu sanguinis tardiori et ad organa vasculosa congestione, e genitalium torpore, nervorum inertiâ, vitae cum organicae, tum animalis debilitate.

§ 186.

E varia autem, cuivis aetati propria, aegrotandi

ratione sequitur, diversam requiri medendi methodum in infante, in juvene, in adulto et sene. In infantibus et pueris saepissime opus erit methodo antigastricâ, quam dicunt, antispasmodicâ, derivante et revulsivâ; in juvenibus, methodo sedante, diluente et refrigerante; in adultis, methodo antiphlogisticâ; in senibus, cum excitante, tum roborante medendi consilio.

§ 187.

Quod tamen non ita accipiendum est, quasi in sola aetate causas morborum ponamus, quasi homines in eadem aetate constituti, morbos habere nequeant diversissimos, quasi quocumque medendi genere opus esse non possit in quavis vitae periodo. Universa enim sanandi ratio non ad singulas sed ad omnes aegrotantium res componi meretur.

§ 188.

Tandem ex eâ, quae variâ aetate obtinet, sensilitatis, irritabilitatis et roboris diversitate intelligere pronum est, medicamenti administrandi copiam ad aetatis rationem componendam esse, eamque in universum, pro annorum numero augendam esse, post quinquagesimum autem aetatis annum, eadem ratione iterum minuendam.

§ 189.

Alia fere viris, alia faeminis vivendi, sentiendi, aegrotandi ratio est. Hae nimirum molliores, et delicatiores, et debiliores sunt quam viri, et animos pariter ac corpora mobiliora habent. Propterea faeminae magis opportunae sunt morbis nervosi generis, minus vero morbis inflammationem

habentibus. His autem aliisque acutis morbis viri praesertim obnoxii sunt.

§ 190.

Intelliguntur hinc sequentia: 1) Facilior morborum diagnosis in viris, quam in faeminis; 2) Illis morbi breves et graves, his diuturni morbi maxime familiares; 3) Virorum morbi majorem constantiam habent, mutabili faeminarum naturae mutationes crebrae subitaeque morborum respondent; 4) Si de affectionum, quae ad morbos accedunt, naturâ dubites, frequentius symptomaticae erunt in faeminis, in viris autem critici generis; 5) Prognosis tamen in universum, magis fausta est in morbis faeminarum, quam quidem in viris; apud hos in morborum initio, semper admodum dubia.

§ 191.

Cui sexus utriusque diversitati praeter alia, haec superstructa sunt universalia medendi praecepta: 1) Efficaciora remedia majori copiâ viri ferunt, quam faeminae; 2) Frequentior erit necessitas mutandi consilium medendi in faeminis, quam quidem in morbis virorum; 3) In sexu potiori antiphlogisticâ, in sequiori, antispasmodicâ medendi methodo saepissime opus est.

§ 192.

Neque minus in medicamentorum usu, attendendum est ad *temperamenti* diversitatem, cujus quippe vi sanitatis et morborum formae insigniter saepe mutentur.

§ 193.

Inaequalis autem virium temperies, a qua temperamentorum diversitas magis quam a varia hu-

morum mixtione repetenda videtur, e ratione potissimum cognoscitur, quâ corporis et animi vita incitamenta externa cum recipit, tum iis renititur.

§ 194.

Est vero ea ratio quadruplex; etenim aut nimis auctae sunt vires, incitamenta tum recipientes, tum iis repugnantes; aut praevalent eae, quae facile incitantur, repugnandi tamen potentiâ debilitatâ; aut excellit haec, stimulisque tardius admissis alacriter et strenue occurrit; aut facultas, quâ tum recipiuntur stimuli, tum avertuntur, aequabiliter languet. Unde apparet, quae sit temperamenti *cholerici*, *sanguinei*, *melancholici* et *phlegmatici* ratio. Friedländer.

§ 195.

Cholerico temperamento praeditis morbi acuti sunt, inflammatorii, cursu celeri et magna vehementia insignes. Praeter animum enim irritabiliorem, summa est vitae alacritas, cum magno actionis robore juncta. Unde constat de usu medicamentorum, deprimendo, sedando, diluendo agentium.

§ 196.

Temperamentum *sanguineum*, prae aliis, sanguinis nimiae abundantiae et vehementi motui, quique inde oriuntur, morbis; praeterea autem turbis nervosi generis, hysteriae in primis, obnoxium est. Huic igitur temperantia in victu et potu, atque exercitatio crebra conveniunt, et aliquando exinanitiones, quas bene tolerare solet. Gregory.

§ 197.

Melancholici patiuntur multum a vita otiosa et sedentaria, et stimulantibus et calefacientibus remediis: saepe male concoquunt, et a ventriculo

laborant, et hypochondriasi obnoxii sunt, quae in aliis constitutionibus rarius observatur. Dicuntur, prae aliis hominibus, obstructionibus viscerum abdominis obnoxii esse. Gregory. — Quapropter huic hominum generi conveniunt cum medicamenta resolventia, derivantia, tum idoneum regimen mentis, et corporis exercitatio.

§ 198.

Temperamento *phlegmatico* instructis morbi esse solent saburrales, verminosi, hydropici, scrophulosi, aut cum aliâ cachexiâ conjuncti. Morbi magis diuturni quam acuti sunt, cum periculo praecipiti raro conjuncti, aegerrime tamen sanandi, propter torpentem vim Naturae medicatricem. — Phlegmaticis respondent, quae incidendo, stimulando, roborando agunt, medicamenta.

§ 199.

Neque ignorare Medicum oportet, quae sit aegri natura, — frequens valetudo an rara, eaque, cum est, vehemens esse soleat an lenis, brevis an longa. Celsus in Praef. ad L. I.

§ 200.

Raro quisquam non aliquam partem corporis imbecillam habet. Cels. I. 3.

§ 201.

Unde apparet praecepti illius praestantia, quo jubentur Medici, in *morbo* communia potissimum spectare, in *aegrotantibus* autem ea praesertim investigare, quae singulis propria sunt.

§ 202.

Medicamentorum genere rite accommodato ad peculiarem hominis aegrotantis naturam, ad *ex*-

terna attendi oportet, quibus quippe, altero loco, respondeat omne medendi consilium.

§ 203.

Inter externa attentionem merentur natura coeli, sub quo vivimus, victusque et vitae genus, quo utimur. His quippe corpus haud parum afficitur, hominesque aliis morbis obnoxii fiunt, ab aliis immunes vivunt. Deinde differunt quoque, pro natura locorum, genera Medicinae.

§ 204.

Qui calidas quippe regiones incolunt, morbis nervosi generis, morbisque putridis et biliosis, maxime febribus intermittentibus, opportuni sunt; inflammationibus rarius afficiuntur: ideoque dum aegrotant, remediis, quae putredinem et bilem corrigant, multum egent, et exinanitiones, sanguinis in primis detractiones, aegre tolerant. Gregory.

§ 205.

Frigidarum contra regionum incolae febribus continuis et inflammationibus, pulmonum praecipue, obnoxii sunt; haud tantum morbis nervosi generis, nisi malo vitae genere vim nativam fregerint, neque putridis, neque biliosis morbis. Dum aegrotant, validioribus fere medicamentis egent, et sanguinis jacturam plerumque bene tolerant. Gregory.

§ 206.

Diversa quoque anni tempora haud exiguam potestatem in corpus humanum exercent. Unde fit, ut non solum morbi quidam principes singulis anni temporibus, constanti quadam lege, recurrant,

verum etiam ut morbi alii, a causis singularibus excitati, ad annuae constitutionis genium, maximam partem, sese accommodent.

§ 207.

Nam Vere quidem insaniae, et melancholiae, et epilepsiae, et sanguinis fluxiones, et anginae, et gravedines, et raucedines, et tusses, et leprae, et impetigines, et vitiligines, et pustulae ulcerosae plurimae, et tubercula, et articulorum dolores. Hippocr. III. 20.

§ 208.

Aestate vero, et nonnulli vernalium, et febres continuae plurimae, et quartanae, et vomitus, et alvi fluxus, et ophthalmiae, et aurium dolores, et oris exulcerationes, et pudendorum putredines, et sudamina. Hippocr. III. 21.

§ 209.

Autumno autem, et multi ex aestivis, et febres quartanae et erroneae, et lienes, et hydropes, et tabes, et urinae stillicidia, et lienteriae, et dysenteriae, et coxae dolores, et anginae et asthmata, et volvuli, et epilepsiae, et insaniae, et melancholiae. Hippocr. III. 22.

§ 210.

Hieme vero, pleuritides, peripneumoniae, lethargi, gravedines, raucedines, tusses, dolores pectorum et laterum, et lumborum, et capitis dolores, vertigines, apoplexiae. Hippocr. III. 23. — Inimicior senibus hiems, aestas adolescentibus est. Celsus. II. 1.

§ 211.

In universum igitur: tempore verno frequentis-

simi sunt morbi *catarrhales* et *rheumatici*; aestate morbi *nervosi* et *putridi* generis; autumno morbi *biliosi*, *saburrales*, *pituitosi*; hieme morbi *inflammatorii*.

§ 212.

Quodsi autem quaedam temporum anomalia, coelique mutationes abnormes intercurrant, ita ut v. gr. humida et nebulosa, electricis viribus fere destituta, aëris temperies autumnalis in hiemem extendatur, morbi quoque in alias anni partes, aliis morbis dicatas, proferuntur, unde, Stollio monente, circa constitutionum annuarum initia exitusque, medium quoddam compositumque genus morborum observatur.

§ 213.

Ad quam morborum, pro anni tempore, diversitatem Medicum sedulo attendere decet, ut ad universalem morborum indolem sive diathesin, in primis autem ad variam virium vitalium conditionem, suam instituat medendi rationem.

§ 214.

Neque minus ad annuam morborum constitutionem accommodanda est natura et copia alimentorum.

§ 215.

Aestate et autumno cibos difficillime ferunt: hieme facillime, deinde vere. Ventres hieme et vere natura sunt calidissimi, et somni longissimi. His igitur temporibus etiam alimenta plura sunt exhibenda. Innatum enim calorem majorem habent. Nutrimento igitur copiosiore indigent. Indicium sunt aetates et athletae. Hippocr. I. 15, 18.

§ 216.

Praeterea vitae genus, praesertim quod ad exercitationem aut ignaviam, multum facit, hominesque ab aliis morbis incolumes praestat, ad alios proclives reddit. Sic exercitatio, modo non nimia fuerit, corpus roborat, concoctioni opitulatur, secretiones et excretiones promovet, sanguinis motum intendit neque sinit plus justo sanguinis congeri; ideoque multos morbos vel arcet, vel jam inductos atque urgentes depellit. Gregory.

§ 217.

Vehemens tamen exercitatio corpus morbis nonnullis opportunius facit, praesertim propter insignem solidarum partium vim et robur, auctumque ideo humorum impetum; quo fit, ut febres quaedam et inflammationes facilius et vehementius incumbant. Durus vero et perpetuus labor, alia prorsus ratione, corpus exhaurit, debilitat, indurat, et ideo senectutem praematuram inducit. Gregory.

§ 218.

Ignavia vero corpus solvit, debilitat, mobile reddit, motum sanguinis languidum facit, secretiones et excretiones fere minuit, et plenitudinem et obesitatem efficit; adeoque plurimis morbis, hysteriae, dyspepsiae, podagrae, sanguinis profluviis, apoplexiae, paralysi, obstructionibus, hydropi, viam sternit. Gregory.

§ 219.

Ut ignavis et torpidis, sedentariam vitam agentibus, exercitatio, sic duro labori assuetis quies et otium pro remedio sunt.

§ 220.

Inter ea, quibus homo ab homine differre solemus, pertinent quoque varia mentis animique ratio et utriusque vel salutaris vel infesta in corpus potestas.

§ 221.

Studia quippe nimis intensa, neque, ut decet, intermissa, vehemens praesertim cogitationum in eandem rem intentio, rari sunt, quibus non magnopere noceant. Quapropter immodica mentis exercitatio, corpori, generi nervoso in primis, ventriculo et capiti, non minus est perniciosa, quam neglecta mentis cultura.

222.

Similis res est animi motuum. Quamquam in moderatis, qui ratione diriguntur, Gaubio monente, sua insit eximia utilitas, haud minus physica, quam moralis, vehementes tamen animi affectus, sive excitantis sive deprimentis sint generis, et graves quaecumque curae, variâ ratione, officiunt sanitati.

§ 223.

Unde constat de regimine mentis, quod Medicorum est, de animi cura in morbis corporis quoque habenda. « Itaque si qua sunt, quae exasperatura sunt eorum animos, optimum est, ea, dum aegrotant, ipsorum notitiae subtrahere." Cels. III. 5.

§ 224.

Denique medendi consilia ad universam morbi rationem componi oportet: non solum ad suam

cujusque naturam, ut postea indicabimus, sed ad tempus quoque vel stadia.

§ 225.

Cuicumque nimirum morbo tempus est *incrementi*, *vigoris* et *decrementi*. Circa principia et fines omnia sunt debiliora: circa vigores vero vehementiora (Hippocr. II. 30). Unde intelligitur diversa diaetae et sanationis ratio pro temporis morborum diversitate.

§ 226.

Incipientibus morbis, si quid movendum videatur, move: vigentibus vero, quiescere melius est. Hipp. II. 29.

Victus humidus febricitantibus omnibus confert, maxime vero pueris, et aliis tali victu uti consuetis. Hipp. I. 16. Conf. Celsus III. 6.

Ubi peracutus est morbus, statim extremos habet labores et extreme tenuissimo victu uti necesse est. Ubi vero non, sed plenius cibare licet, tantum a tenui recedendum, quantum morbus remissior extremis fuerit. Hipp. I. 7.

Considerare oportet etiam aegrotantem, num ad morbi vigorem victu sufficiet, et an prius ille deficiet, et victu non sufficiet, vel morbus prius deficiet, et obtundetur. Hipp. I. 9.

Quibus igitur statim vigor adest, statim tenuiter alendi. Quibus vero in posterum vigor, his ad illud et paulo ante illud tempus, subtrahendum. Antea vero uberius alendum, ut sufficiat aeger. Hipp. I, 10.

In exacerbationibus cibum subtrahere oportet. Exhibere enim noxium est. Et quaecumque per

circuitus exacerbantur, in exacerbationibus subtrahere oportet. Hipp. I. XI.

Neque inter magnos dolores, neque increscente morbo, tutum est, aegrum impleri cibo, sed ubi inclinata jam in melius valetudo est. Cels. III. 6.

Scire oportet, optimum cibo tempus esse, febre finita. Cels. III. 5.

CAPUT VI.

De ordine, quo praecipuae medendi methodi, quaeque ad eas faciunt, remediorum genera explicari posse videntur.

§ 227.

Quemadmodum morbi plerique eam inter se habent cognationem et affinitatem, ut, si excipias differentias accidentales, ad paucas familias et genera possint referri, sic quoque medendi methodos, quae in iis conveniunt, ad praecipua quaedam genera referre licet.

§ 228.

Ut morborum natura per se simplex est, sic etiam remediorum actio non adeo composita est, quin facile eorundem praecipuas vires cognoscere et indicare valeamus. In medicamentis non minus, quam in morbis, ea, quae communia sunt, contemplari oportet artificem.

§ 229.

Neque tamen mirum est, ordinem illum, quem Natura dictat, non adeo facile in recensendis variis medendi consiliis et detegi posse et adhiberi.

Insignis enim ubertas est et varietas, quas Natura cum simplicitate conjungit.

§ 230.

Ipsa Therapiae universalis initia a paucissimorum medicamentorum scientiâ repetenda sunt. Celso quippe monente, Asclepiades in eo volumine, quod Communium Auxiliorum inscripsit, non nisi trium fecit mentionem, frictionis, vini, et gestationis.

§ 231.

Quo ordine curationes communes, quae pluribus morbis opitulantur, recensuerit Celsus, haec doceant illius verba: « Omne vero auxilium corporis, aut demit aliquam materiam, aut adjicit, aut evocat, aut reprimit, aut refrigerat, aut calefacit, simulque aut durat, aut mollit."

§ 232.

Quae hinc nata est, divisionem medicamentorum in *alterantia* et *evacuantia*, in Therapia generali quoque plerique auctores, antiquiores praesertim, secuti sunt. Recensuerunt igitur methodum *resolventem*, *inspissantem*, *antacidam*, *antisepticam*, *refrigerantem* etc.: inter *evacuantes* methodos, *emeticam*, *catharcticam*, *diureticam*, *sudoriferam*, *sialagogam*, *errhinam*, *emmenagogam* etc.

§ 233.

Recentiores scriptores, in ordinandis medendi methodis, ad praecipua potissimum attenti fuerunt vitae phaenomena. Quapropter medicamentorum genera recensuerunt, in *systema reproducti-*

vum, in *organa sensilitatis* et *irritabilitatis* agentium.

§ 234.

Alii denique actioni remediorum proximae divisionem suam superstruxerunt. Sic Hufelandius v. c. medendi methodos ad duas Classes majores retulit, quarum altera pertinet ad rationem corporis *dynamicam*, ad *materialem*, ut dicit, altera.

§ 235.

Per varias igitur vias, communes morborum curationes explicaturis incedere licet. Suas quaeque via habet ambages, spinas, locos desertos.

§ 236.

Si ordinem quaeras ad Praxin praecipue accommodatum, sequentem methodum adhibere licebit, ad hodiernos Physiologiae progressus compositam. Primo loco explicentur medendi consilia, quibus utimur contra affectiones morbosas simplices, cum partium, quae in Anatomia generali traduntur, similarium, tum sanguinis etiam atque humorum. Altero loco morbi tradantur simplices et communes, quibus obnoxiae sunt partes dissimilares vel praecipua organorum genera: indicentur simul medicamenta communia, ad eosdem sanandos facientia.

§ 237.

Neque tamen nos ii sumus, qui credamus, hac ratione omnes abesse difficultates. Natura enim, ut Baglivius habet, sui juris est, ac longe latius patet, quam ut certos ei fines angustosque humani ingenii terminos constituamus, extra quos egredi non possit.

SECTIO II.

Universalia Artis praesidia ad sanandos morbos.

Affectiones morbosae simplices cum partium similarium, tum humorum, quaeque in iis conveniunt medendi consilia.

CAPUT I.

De irritatione generis vasculosi et de methodo antiphlogisticâ.

§ 238.

Notant cordis et vasorum irritationem respiratio celerior, calor corporis solito major, auctus turgor vitalis, incitatior sanguinis motus, congestiones et haemorrhagiae activae, pulsus naturali celerior, febris inflammatoria: praeterea palpitationes cordis et alia signa minus perpetua.

§ 239.

Ad ejusmodi vasorum irritationem, quam dicere solent *orgasmum*, disponunt praecipue aetas juvenilis, temperamentum sanguineum, major generis vasculosi irritabilitas. Occasionem praebent calor externus, immodica corporis exercitatio, animi pathemata excitantia, omnesque stimuli, qui humorum turgorem praesertim promovent, ut spirituosorum abusus et similia.

§ 240.

Practerea hujus loci est alia communis vasorum affectio, in quâ, praeter generis vasculosi vitam,

sanguinis quoque copia peccat, plethora nimirum, quae est abundantia sanguinis sani.

§ 241.

Plethoram indicant bonus corporis habitus, magis rubente cutis colore, in locis potissimum, qui tenera epidermide tecti sunt; venae tumentes; auctus corporis calor; pulsus plenus, magnus, tardus; segnities, somnolentia, vertigo.

§ 242.

Ad plethoram disponunt, praeter conditiones § 239 recensitas, sexus sequior, laxa solidorum compages, magnus digestionis et nutritionis vigor. Occasionem praebent cibi eupepti, multum nutrientes, vita lauta, otiosa, somnus protractus, animus compositus et tranquillus, excretionum naturalium vel consuetarum suppressio.

§ 243.

Utrumque morborum communium genus, vitam vasorum auctiorem et nimiam boni sanguinis copiam, plurimosque, qui ab iis pendent, effectus sanare saepissime licet eo medicamentorum genere, quae vocantur *antiphlogistica*, *refrigerantia*, *temperantia*.

§ 244.

Quo nomine medicamenta insigniuntur, quaecumque idonea sunt tollendae causae, quâ calor corporis, adeoque ipsa vis vitae, praeter naturam augetur.

§ 245.

Indicant autem methodum antiphlogisticam orgasmus sanguinis, plethora universalis, congestiones notabiles, febris continua inflammatoria, inflam-

mationes locales, quae organa nobiliora occupant vel reactionem universalem excitarunt.

§ 246.

Vetant hanc medendi rationem vera corporis debilitas, natura irritationis vel inflammationis impura, congestiones et haemorrhagiae passivi generis, critica naturae molimina, per aestum majorem, per inflammationem localem, aut per motus febriles, morbo mederi studentis.

§ 247.

Natura etiam sua habet medicamenta antiphlogistica. Per epistaxin, per haemorrhoïdes fluentes, per menstruum fluxum, gravissimi saepe sanantur morbi.

§ 248.

Artis praesidia, quibus utimur contra generis vasculosi irritationem, naturae diversae sunt. Neque id mirum est, quoniam aestum corporis aliosque vitae vasorum auctioris effectus tollere non licet, nisi varia eorum causa prius sublata sit.

§ 249.

1) Primum praesidiorum genus in eo positum est, ut minuamus stimulos, qui agunt in mentem et animum, in organa sensus et motus: pertinent huc tenebrae, silentium, quies corporis et securitas animi.

§ 250.

2) Secundo loco huc pertinet abstinentia ab iis, quae praeter modum nutriunt corpus, ejusque sensilitatem augent. Referuntur inter haec praesidia victus parcus et tenuis; aër frigidiusculus, humidus; stragula et vestimenta corporis leviora.

§ 251.

3) Remedium efficacissimum est imminutio stimuli naturalis, in systema vasculosum proxime agentis, i. e. sanguinis detractio vel universalis, vel partialis. Illa fit per sectionem venae, haec per hirudines, scarificationes et cucurbitas cruentas.

§ 252.

4) Plura medicamenta sunt, quae simul vasa relaxant et stimulantes fluidorum proprietates corrigunt. Pertinent huc remedia, quae *diluendo* agunt, aquosa praesertim, quae vel largâ bibuntur copiâ, vel balnei aut clysmatis formâ administrantur; ea, quae *emolliunt* et *relaxant*, ut mucilaginosa, demulcentia, oleosa; ea, quae agunt *attenuando*, *fibras relaxando*, *secretiones augendo*, ut acida vegetabilia et salia neutra; ea denique, quae *temperando* agunt, v. c. medicamenta terreo-gelatinosa. Subinde quoque huc referri merentur medicamenta, quae sanguinis *corrigunt* crasin, acida mineralia potissimum.

§ 253.

5) Hujus loci sunt medicamenta, quae vasorum irritabilitatem minuunt; quo praeter acida mineralia, narcotica quaedam pertinent, Digitalis, Hyoscyamus, Belladonna. Cum his autem cautissime plerumque mercandum est.

§ 254.

6) Ultimum, neque tamen infimum, locum tenent remedia, quae derivant blandâ ratione, ea potissimum, quibus secretiones et excretiones simul promoventur, ut v. c. ejusmodi laxantia, dia-

phoretica et diuretica medicamenta, quae refrigerantes habent virtutes.

§ 255.

Singula haec medicamentorum refrigerantium genera in Therapia et Pharmacologia speciali accuratius explicanda sunt. Ad Celsi tamen exemplum, de *venae sectione* et de *sanguinis detractione locali*, quippe quae praesidia sint antiphlogistica et communia et efficacissima, datâ operâ dicendum est.

De Venaesectione.

§ 256.

Venaesectio remedium est, quo nullum existit in variis et quidem gravissimis morbis potentius aut praesentius auxilium; neque profecto pauci sunt morbi, in quibus saepe unica spes et perfugium videtur. Gregory.

§ 257.

Venaesectio autem detractio sanguinis generalis vocatur, quoniam, sanguine e vulnerata vena grandiori emisso, non solum partes, e quibus detractus est, exhauriuntur, sed cordis ipsius contractiones debiliores redduntur, adeoque totum corpus similiter et brevi afficitur.

§ 258.

Mutationes, quae in corpore obtinent, instituta sectione venae, repetendae sunt vel ab imminuta sanguinis copia, vel a motu sanguinis emendato, vel denique a directione ejusdem mutata. Quapropter veteres distinguere solebant inter venaesectionem *evacuatoriam*, *derivatoriam*, *revulsivam*.

§ 259.

Inter universales igitur venae sectionis effectus recenseri merentur, relaxatio vasorum et plerarumque partium, quae irritabilitate instructae sunt; cordis et universi systematis vasculosi depletio; vasorum distentorum contractio aucta; circuitus liberior; humorum tenuitas; impetus sanguinis imminutus; calor animalis temperatus; virium vitalium brevis vel diuturna debilitatio; humorum revulsio. Voltelen.

§ 260.

Indicant missionem sanguinis e vena: 2) plethora universalis, quae oneri est et notabilem infert functionis cujusdam laesionem; tunc quoque, quando sanguinis moles vasorum actionem adeo supprimit, ut eorum motus tardior fiat aut suffocetur; 2) congestio sanguinis ad organa nobiliora, ab auctiori vasorum vitâ inducta; 3) haemorrhagiae activae, et evacuationum sanguinis, vel naturalium, vel consuetarum, in damnum sanitatis, suppressio; 4) febris continua inflammatoria, aliique morbi acuti, cum nimio aestu et reactione corporis, quae modum superat, juncti; 5) inflammationes locales, quae in consensum traxerunt cor et vasa majora; 6) impedimenta, quae libero sanguinis, praesertim per cor atque pulmones motui obstant; 7) graves dolores et spasmi ab irritatione, veluti a calculo in renibus aut vesica, ab hernia incarcerata, a vulnere, contusione et similibus.

§ 261.

Venaesectionem vel vetant, vel circumspectius instituendam suadent conditiones prioribus oppo-

sitae, ut v. c. plethora habitualis, cum nulla affectione generis acuti conjuncta; magna corporis irritabilitas ab erethismo nervoso oriunda; impura inflammationum indoles; stadium morbi nimis provectum; calor mordax febrium putridarum, et quae sunt ejus generis plura.

§ 262.

Nocivi effectus, qui venae sectionem saepius repetitam potissimum sequuntur, sunt corporis infirmitas et nimia relaxatio, secretionum et excretionum turbae, morbosa sanguinis tenuitas, morbi hydropici, corporis obesitas, et vel ipsius sanguinis nimia generatio.

§ 263.

Corollaria quaedam atque praecepta:

1) De instituendâ vel negligendâ venaesectione nulla praecepta certa aut perpetua possunt proponi.

2) In dubio casu, exploratoria venae sectio instituatur.

3) In morborum acutorum initio venae sectio saepissime prodest; in provectioribus morbis parcius et non nisi caute instituenda est.

4) Caveas, ne imprudenti venae sectione critica naturae molimina turbes.

5) Saepius necessaria vel utilis est in illo genere morborum, qui pyrexiae apud Nosologos dicuntur, rarius in neurosibus, rarissime in cachexiis. Gregory.

6) Venaesectio tamen summum saepissime est antispasmodicum.

7) In chronicis generis nervosi morbis, nisi plethora

causam efficiat, morbosa sensilitas venaesectionibus plerumque augetur.

8) Iuvenes et homines constantis aetatis melius ferre solent venae sectionem, quam infantes et senes. Senectus tamen, in apoplexiam proclivis, neutiquam venae sectionem vetat.

9) Viri frequentius requirunt, quam faeminae, si excipias tempus graviditatis et cessantis menstrui fluxus.

10) Interest etiam inter valens corpus et obesum; inter tenue et infirmum. Tenuioribus magis sanguis, plenioribus magis caro abundat. Facilius itaque illi detractionem ejusmodi sustinent: celeriusque eâ, qui nimium est pinguis, affligitur. Ideoque vis corporis melius ex venis quam ex ipsa specie aestimatur. Celsus.

11) Venae sectio in plerisque morbis magis necessaria est hieme et vere, quam aestate atque autumno. Eam melius quoque ferre solent frigidarum, quam calidarum regionum incolae.

12) In instituenda venae sectione aliquid dandum est consuetudini.

13) Plethora, quae longioris est durationis, non sanguinis repetita detractione, sed abstinentia, victu idoneo, corporis exercitatione, purgantium similiumque praesidiorum usu sananda est.

14) Attendere oportet Medicum cum ad singularem aegrotantium idiosyncrasiam, tum ad cognitam epidemiae naturam.

15) Necesse est prae omnibus, in sanguine detrahendo, ut pulsus rationem habeat Medicus, quo quippe nullum fere sit certius indicium, unde

judicare possit, utrum talis exinanitio vel utilis, vel tuta duntaxat futura sit.

16) Quotiescumque igitur in quocumque morbo pulsum frequentem, validum, plenum, cum magno calore, dolore, et praecordiorum oppressione conjunctum invenias, sanguinis missio tuta est. Macbride.

17) Pulsus, qui per excellentiam indicat venae sectionem, plenus, durus et lentus est: frequentia enim in pulsu saepe cum debilitate conjuncta est.

18) Interdum vero, etiam si pulsus debilis ac parvus est, sanguinis tamen missio omitti haudquaquam potest, velut in peripneumonia, in viscerum abdominalium inflammationibus, in apoplexia, phrenitide etc. Gregory.

19) Si, post missum sanguinem, pulsus aeque, ut antea, frequens, sed minus validus est, et si calor immoderatus ac praecordiorum oppressio parum, aut non omnino, imminuuntur, in repetenda sanguinis detractione admodum cauti esse debemus. Macbride.

20) Quo magis a detracto sanguine venae concidunt anxietasque ingravescit, eo magis cavendum est, ne sanguis ultra mittatur. Contra, ubicumque sanguinis detractio pulsum potius excitasse, spiritusque difficultatem expedivisse, et ponderis, praecordia opprimentis, sensum levasse animadvertitur, tuto a nobis repeti potest, quousque reliquae morbi conditiones eam exigere videbuntur. Macbride.

21) Ubi vehemens quoddam symptoma; velut summa praecordiorum oppressio ac spirandi diffi-

cultas, sanguinis missionem iterari, vel repeti desiderat, aliae autem conditiones, velut ultima virium imbecillitas etc. eandem prohibent; tutissima agendi ratio haec est, ut Medicus ministro, venam incidenti, adsistat, pulsumque, dum sanguis profluit, digito explorare pergat. Nam si eum liberiorem ictusque validiores fieri percipit, tot sanguinis uncias, quot libet, detrahere licet: sin autem tactae arteriae pulsationes elanguescunt, protinus sanguis supprimendus, et vena occludenda est. Macbride.

22) Quo citius detrahatur sanguis, i. e. e quo ampliori effluat vulnere, eo majus afferre solet levamen, si cordis ipsius vires sunt debilitandae, aut majori opus est derivatione. Quapropter in cerebri, pulmonum aliarumque partium inflammatione, binas venas simul incidere suaserunt Medici. Macbride.

De sanguinis detractione locali.

§ 264.

Si per hirudines, per cucurbitas cruentas, aut per scarificationes, sanguis alicui corporis parti detrahitur, localis vel topica sanguinis detractio institui dicitur.

§ 265.

Exinanitio enim hoc modo effecta, exigua fere est et semper lenta, neque remotas partes aut totum corpus multum afficit; nimirum quia vasa quantitati humorum, quam habent intra certos limites, facile se accommodant, dummodo mutatio lenta fuerit. Gregory.

§ 266.

Partem vero, unde sanguis elicitur, partesque etiam vicinas egregie saepe afficit, nec raro in variis singularum partium vitiis multo plus valet generali sanguinis detractione, quamvis decuplo fortasse largiori; et, quod vix minoris momenti est, tuto saepe adhibetur, et igitur aliquoties repeti potest, ubi generali sanguinis detractioni, corpore scilicet jam valde exhausto et infirmato, locus plane nullus foret. Gregory.

§ 267.

Convenit igitur detractio sanguinis localis in morbis praecipue longis, qui congestionem diuturnam potius, quam inflammationem acutam pro causa habent. In acutis quoque quibusdam, si et levari corpus debet, et ex vena sanguinem mitti, vires non patiuntur. Idque auxilium ut minus vehemens, ita magis tutum; neque unquam periculosum est, etiamsi in medio febris impetu, etiamsi in cruditate adhibetur. Ideoque ubi sanguinem mitti opus est, si incisa vena praeceps periculum est, aut nobili in parte corporis vitium est, etiam huc potius confugiendum est, cum eo tamen, ut sciamus, hic ut nullum periculum, ita levius praesidium esse; nec posse vehementi malo, nisi aeque vehemens auxilium succurrere. Celsus.

§ 268.

Hirudinum suctui sequentes potissimum effectus tribuendi sunt: 1) Vulnere, quod cuti infligitur a tribus maxillis elongatis, corneis, quibus armatum est os suctorium, irritatio obtinet, qua sanguis, etiam cessante suctu, ad exteriora allicitur; 2) ex

ea parte sanguinem hirudines sugunt, quae inflammationis foco proxima est; 3) non majoribus vasis, sed capillaribus, in quibus inflammatio praesertim residet, sanguinem hirudines detrahunt; 4) non solum venosus, sed arteriosus etiam sanguis hac ratione evacuari videtur; 5) sanguinis detractio lenta fit et continua, ita ut magis derivando quam debilitando prosit non lictura cutim, nisi plena cruoris hirudo.

§ 269.

Indicatur hirudinum usus in inflammationibus, quae cutis superficiei proximae sunt, in iisque, quae ab irritatione cordis et vasorum majorum immunes sunt, quaeque adeo non aluntur sanguinis, qui a tergo fit, affluxu continuo.

§ 270.

Si inflammatio in consensum traxerit fontem circulationis et vasa majora, sanguinis detractio universalis requiritur, vel hirudinum suctui saltem praecedat. Neque etiam venae sectione carere possumus, si inflammatio localis in corpore plethorico obtinet.

§ 271.

Similem, quam hirudines, actionem habent scarificationes et cucurbitae cruentae. Utrumque auxilii genus inter antiquissima et efficacissima medendi praesidia pertinet.

§ 272.

Scarificatio, quae est crebra tegumentorum communium incisio, instituitur potissimum in inflammatis partibus, quibus hirudines admoveri non possunt, in inflammatione tonsillarum, uvulae,

linguae: interdum quoque in gravissima conjunctivae inflammatione. De scarificatione profundiori, quae laticem in tela cellulosa effusum, educendi, vel strictas partes laxandi consilio fit, hoc loco non est dicendum.

§ 273.

Cucurbitas cruentas praecipue adhibemus, si sanguinis detractio localis in majori corporis superficie, in toto abdomine v. c., aut ad ductum totius vertebrarum columnae, instituenda est, aut quando praeter evacuationem sanguinis, revellendi scopum habemus, in inflammationibus v. c. articulorum.

De methodo derivante.

§ 274.

Contra irritationem generis vasculosi, praeter remedia antiphlogistica, ea quandoque requiruntur, quae *derivando* agunt. Quamvis iisdem praesidiis opus esse possit, ad compescendam systematis nervei aut fibrae muscularis irritationem, hoc tamen loco, de methodo revellente et derivante paulo accuratius dicendum est, ne, quae semel dicta sunt, cogamur repetere.

§ 275.

Nimirum inter plurimas corporis partes consensus vel sympathia obtinet, id est arctissimum affinitatis et cognationis vinculum; inter alias autem intercedit antagonismus, i. e. contraria quaedam actionis et virium ratio. E quo naturali partium, in Oeconomia animali, nexu explicari merentur cum harmonica et consociata earum actio, tum adjumen-

tum atque auxilium, quod in statu morboso, sibi invicem ferunt (συνέργεια καὶ συμπάθεια), tum denique morborum ex alia parte in aliam migratio, aut artificialis translatio.

§ 276.

Doctrina igitur, quae in Physiologia accuratius explicatur, de partium sympathia et antagonismo, lucem praebere debet in explicanda methodi *derivantis* et *revulsivae* ratione.

§ 277.

Medendi haec methodus in eo consistit, ut partis cujusdam actionem adeo augeamus vel imminuamus, ut status excitetur vel similis vel oppositus in alia parte, quae per legem sympathiae, id est, aut actionis societate, aut dispari laboris ratione, cum illa conjuncta est; eo quidem consilio, ut conditio morbosa, quae in parte aut partibus adest, vel auferatur vel in partem aliam transferatur. Exemplo sit medicamentorum, quae tractum intestinalem ad actionem auctiorem sollicitant, usus ad tollendam cerebri irritationem.

§ 278.

Si accuratius rem perpendamus, medicamenta, quae eo consilio adhibentur, duplici potissimum modo operantur, vel nimirum *morbosam irritationem*, vel *humorum affluxum*, qui irritationis effectus est, transferendo in partem aliam. Priorem agendi rationem *revulsionem* (ἀντίσπασιν), posteriorem *derivationem* (παροχετεύσιν) dixit Galenus.

§ 279.

Revulsione igitur utimur contra affectiones morbosas, in quibus formandis natura est occu-

pata, quae ἐν τῷ γίνεσθαι sunt, eo fine, ut excitato sensu novo in aliqua corporis parte, tollantur sensilitatis aut irritabilitatis in nobiliori organo turbae. Sic v. c. dolorem a spasmo auferre licet dolore inflammatorio, quem excitat vesicatorium in dissitâ parte externâ.

§ 280.

Contra morbos jam natos, ne affectionibus diuturnis quidem exceptis, ea quae *derivando* agunt, i. e. quae humores alliciunt, summam saepe habent utilitatem. Quam rem significasse videtur Galenus dicendo, in incipientibus id, quod in partem irruit, averti, in natis vero impactam parti affectae materiem debere evocari.

§ 281.

Quapropter, ut rite adhibeamus praesidia, *revellendo* et *derivando* profutura, cum ad tempus morbi, tum ad universam aegrotantis et virium conditionem, tum denique ad irritationis morbosae gradum, et ad affinitatem, qua corporis partes conjunctae sunt, sedulo attendere necesse est.

§ 282.

In universum autem utraque medendi methodo utimur: 1) ut in partes agamus, ad quas aditus difficilior est, quaeque adeo non admittunt *directam*, quae dicitur, methodum; 2) ut morbos diuturnos et consuetudinarios, qui antiphlogisticis aliisque remediis frustra impugnati fuerunt, vel derivando sanemus, vel in alias partes derivemus, vel etiam mitigemus; 3) ut affectionem morbosam partium nobiliorum in partes minus nobiles transferamus; 4) ut morbum, qui organa

plurima detinet, ad unam partem figamus adeoque simpliciorem reddamus; 5) ut morbos sanemus graviores, per metastasin ortos; 6) ut restituamus suppressas corporis secretiones et excretiones.

§ 283.

Abstinemus a methodo derivante et revulsivâ: 1) si in partem aegrotantem rectâ viâ agere licet, sine eo, ut partes remotas internis vel externis stimulis irritari oporteat; 2) quamdiu signa eam morbi acutiem docent, ut stimulo artificiali in dissitam partem agente, nequeat superari; 3) si in parte, cui admoventur medicamenta derivantia, antagonistica, affectiones oriri possunt morbosae, morbum primum vehementiâ et periculo superantes.

§ 284.

Ipsa Natura ad morbos sanandos hac methodo saepissime utitur. Sic v. c. diarrhoeam Natura sanat auctâ perspiratione cutaneâ, morbos rheumaticos diuresi largâ et criticâ, phthisin pulmonalem abcessu externo suppuratorio, melancholiam scabie aut exanthemate alio. Eodem consilio morbi organorum, quae vitalia sunt, in morbos partium minus nobilium, morbi locales in universales, universales in locales mutantur.

§ 285.

Praesidia, quae Ars in eum finem adhibet, sunt: 1) remedia stimulantia, quae in cutim, in tractum intestinorum, in renes, in sensus, in animi pathemata agunt; 2) remedia emollientia, quae vasa dilatant, relaxant, et humores alliciunt, ut balnea tepida, vapores calidi et humidi, clysmata emollientia, cataplasmata calida etc.; 3) ejusmodi prae-

sidia externa antagonistica, quae stimulum excitant non solum gradu, sed indole etiam, irritationi tollendae analogum, ut v. c. suppuratio arte facta, scabiei insitio, unguentum Autenriethii etc.; 4) ea medicamenta, quae adhibentur ad restituendam secretionem suppressam, ut v. c. ad haemorrhoïdum, gonorrhoeae, ulcerum, aliorumque restitutionem.

§ 286.

Quum ex iis, quae monuimus, appareat, partes aegrotantes alîus partis affectionem, arte provocatam, vel simili vel opposito plane modo percipere, prouti vel cognationis vinculum, vel contraria actionis ratio obtinet, intelligitur, neminem hoc medicamentorum genere uti posse, sine accurata cognitione naturae humanae, cum sanae tum aegrotantis.

CAPUT II.

De irritatione generis nervei et de methodo sedante.

§ 287.

In systemate nerveo tanta adesse potest sensilitas, ut levibus stimulis in motus erumpat enormes, quibus aequabilis functionum tenor perturbatur. Gaubius.

§ 288.

Sensilitatis illum excessum, quem erethismum vel hyperaesthesiam dixerunt Pathologi, indicare solent facultas percipiendi anomala, insolita sensuum externorum acies, loquela abrupta et celeris, motus incitatiores et irregulares, spasmi, convulsiones,

dolores varii, anxietas, inquietudo, jactatio, agrypnia, delirium aliaeque functionum animalium et naturalium turbae. Accedunt affectuum frequentia, ingenii alacritas aliaque signa, quae simul irritabiliorem notant mentem et animum.

§ 289.

Causae, quae ad hoc affectionum genus disponunt, sunt labes haereditaria, infantia et aetas juvenilis, temperamentum mobile, sexus sequior: delicata solidae compagis teneritas cum eximia nervei generis sensilitate.

§ 290.

Occasionem praebent clima calidius, vitae genus lautum sine exercitatione, aut et strictius regimen, cum meticulosa omnis insoliti evitatione, saepius etiam systema circulationis agitatius aut acris humorum tenuitas. Gaubius. — Stimulos addas, per mentem aut per sensus externos, directâ viâ, in nerveum genus agentes, eosque, qui per consensum, aliunde in nervos propagantur aut transferuntur.

§ 291.

Ad compescendam nimiam nervorum sensilitatem, opus est methodo *sedante.* Dicuntur autem remedia *sedantia*, quae sensum obtundunt motumque reprimunt. Gregory.

§ 292.

Quum autem causae, quibus debetur sensilitatis excessus, adeo sint diversae, sponte patet, diversissima remedia, pro praesenti corporis conditione et pro causarum diversitate, sensum motumque

minuere atque sopire posse, et sic *sedantia* remedia fieri.

§ 293.

Si nervei systematis irritatio a nimio cordis et vasorum vigore, a congestione morbosa, ab inflammatione, a partium nobiliorum laesione mechanica repetenda est, opus est methodo *antiphlogisticá.*

§ 294.

Si pendet a fibrae muscularis strictura, quae praeter naturam est, videmus medicamenta *emollientia* sedantium munere fungi.

§ 295.

Quandoque morbosa nervorum sensilitas tribuenda est verae debilitati (exemplo sit agrypnia hominum, qui gravi decubuerunt morbo), atque tunc medicamentis *roborantibus* indigent aegrotantes.

§ 296.

Si erethismum nervosum excitaverint aliunde advenae stimuli, adhibemus methodum *derivantem* vel *revulsivam.*

§ 297.

Si subsit sanguinis acrimonia, sedantem effectum praestabunt *demulcentia* et *antiseptica.*

§ 298.

Igitur perspicuum est, interdum remedia *relaxantia*, veluti exinanitiones varias, aut *emollientia* medicamenta; interdum vero *adstringentia* et *roborantia;* nunc exercitationem, nunc quietem; nunc calorem, nunc frigus; nunc opium, nunc aromata vel vinum, in tali statu, vim sedantem esse habitura. Gregory.

§ 299.

Missis vero omnibus, quae per accidens, vim sedantem possidere videantur, de iis tantum hic agendum erit, quae prima et simplicissima sua in corpore humano actione (sive haec perspecta et explorata fuerit, necne) sensum motumque jam praesentes sopiunt et reprimunt, et corpus in posterum (dum ipsorum effectus durat) minus sentiens et mobile reddunt. Gregory.

§ 300.

In eo igitur casu, in quo nimia generis nervei sensilitas, quique ab hac pendent, motus inordinati, originem suam repetunt a primaria nervorum affectione, vel ab irritatione saltem, quae in nervis ipsis principem sedem habet, adhibetur methodus *sedans* vel *antispasmodica*.

§ 301.

Indicant hanc medendi rationem: 1) universalis irritabilitas et sensibilitas cum nimiae, tum anomalae; 2) symptomata nervosa, quae essentialia sunt et ab irritatione pendent, quaeque vel vehementia, vel periculo terrent; 3) morbosa nervorum sensilitas, quae morbum principem auget.

§ 302.

Sedante medendi methodo carere possumus, si nervosa symptomata omni periculo vacant, aut si brevis sunt durationis, qualia sunt, quae instantem denotant crisin. Periculosa est ea sanandi ratio, si nervosa symptomata ab aliis causis pendent, aut si medicamenta, quae ad sopiendum destinata erant, morbosas aliarum partium affectiones augent, vel dubios effectus relinquunt.

§ 303.

Praeeunte Natura, ad sanandos nervorum motus inordinatos, haec potissimum Artis praesidia faciunt: 1) omnes ejusmodi res, quibus opus est, ut tollantur stimuli, in systema nerveum, in sensus potissimum externos, in cerebrum aliasque sensiles partes, agentes; 2) praesidia, quae in mentem proxime agunt, ut animi pathemata grata, spes, consolatio, fiducia etc.; exercitatio levis aequabilis; cantus monotonus; interdum etiam Musica Aeolici generis; 3) medicamenta, quae strictius definiuntur, sedante virtute praedita.

§ 304.

Quae ultimo loco recensuimus, medicamenta sedantia, *paregorica* quoque, *anodyna*, *antispasmodica* dicta, ad sequentia potissimum capita referri poterunt:

1) Sedantia *relaxantia*, *mulcentia*, ut aqua tepida, balneum, fomentum etc., emollientia quaevis, venae sectio.

2) *Refrigerantia*, *temperantia*; aqua frigida, acida, salia neutra; antacida, absorbentia.

3) *Calida*, *fragrantia*, ut opium, et nervina suavi aromate praedita.

4) *Foetida* vel peculiari saltem odore praedita, ut Valeriana, Moschus, Asa foetida etc.

5) *Revellentia*, quae cutim male afficiunt et nervosam vim avocant a parte affectâ, ut sinapismi, urticatio, vesicatoria etc. Voltel.

§ 305.

In universum igitur sedantia remedia aut virtutem habent deprimentem, magis minusve debili-

tantem, aut contra vim excitantem, qua nervorum actio vel incitatur vel roboratur: quae tamen medicamenta ultimo loco recensita (fragrantia, foetida, revellentia), non nisi per accidens, sedantem habent virtutem.

§ 306.

Demulcentia remedia, qualia sunt mucilaginosa et oleosa, tunc potissimum usum habent, quando fibra rigida, stricta, cum cute aridâ, linguâ siccâ, siti, aliisque stricturae et irritationis internae signis concurrit. De his aliisque, quae *relaxantia* vocantur, medicamentis accuratius dicendum erit, ubi *emollientem* vel *relaxantem* methodum explicaturi sumus.

§ 307.

Calor quoque inter sedantia non immerito recenseri potest, utpote qui haud raro motus minuere, atque abnormes reprimere, et dolores sopire, et sentiendi facultatem hebetare, et soporem demum inducere, observetur. Quos caloris effectus inprimis a vi ejus emolliente et relaxante repetere oportet. Gregory.

§ 308.

Inter sedantia remedia, quae calorem detrahendo viresque vitales deprimendo agunt, in primis numerandum est *frigus*, quo nihil certe majore aut certiore vi sedante in corpore humano pollet; scilicet quod, dummodo rite (diu et constanter) admotum sit, et sentiendi facultatem manifestissime obtundit, motusque omnes reprimit, et mobilitatem minuit. Gregory.

§ 309.

Inter sedantia efficacissima, quae refrigerantis sunt generis, *sales* quidam referuntur, tum *acidi*, tum *neutri*; nam omnes sales alcalini, et praesertim alcali volatile, contrarium prorsus effectum habent, et corpus plane stimulant et calefaciunt. Gregory.

§ 310.

Ex *acidis* vero salibus (quamvis omnes forsan vim aliquam refrigerantem possideant), acida fossilia validissima sunt. Ex his optimum est et frequentissime adhibetur acidum sulphuricum, plurima aqua dilutum: quod medicamentum tamen non modo insigni vi sedante et refrigerante pollet, sed adstringente quoque, et roborante, et antiseptica. Gregory.

§ 311.

Quod *sales* vero *neutros* attinet, quidam tantum ex iis vim refrigerantem possident; multi enim, veluti sal communis, vix ac ne vix quidem ita adhiberi possunt, quin corpus plane stimulent et calefaciant, et sitim adaugeant, et putredini faveant. Alii vero, veluti Nitrum, vim sedantem et refrigerantem plane habent. Ratio tam insignis differentiae inter varios sales neutros nulla hactenus reddita est. Gregory.

§ 312.

Sed omnium fortassis efficacissima, et prae caeteris ad solvendam stricturam spasmodicam, restituendamque circuitus humorum aequabilitatem ac libertatem, adhibenda remedia, nonnullae ex his rebus sunt, quae, liberaliore manu datae, vo-

mitum provocant, exigue autem datae, diaphoresin movere, humoresque ad cutem propellere, observantur. Macbride.

§. 313.

Quum Opium et alia narcotica eo praecipue sedare et relaxare videantur, quod vim nerveam atque irritabilitatem frangant, utramque stupefaciendo, facile colligitur, ejusmodi medicamenta nimiae sensilitatis effectibus potius quam causis, in universum, mederi. Neque tamen hoc impedit, quominus in spasmis cum internis tum externis, absente omni inflammatione, universali, locali, absente plethorâ, causâ gastricâ aut impedimento alio, cum fructu interdum adhibeantur.

CAPUT III.

De fibrae muscularis irritatione et de methodo emolliente, vel relaxante.

§. 314.

Fibrae muscularis vocabulum latiori sensu sumendum est, neque alio adhibetur consilio, quam ut a genere vasculari et nerveo distinguatur. Omnes igitur intelligimus partes, structurâ fibrosâ praeditas, atque irritabilitate, id est facultate sese ad stimulum contrahendi (contractilitate organica), instructas.

§. 315.

Fibrarum autem irritatio et strictura adesse dicuntur, quando ille obtinet duritiei, densitatis, tensionis et adstrictionis status, quem laesae functionis symptomata comitantur.

§ 316.

Prout in diversis partibus vario gradu inest irritabilitas, differunt stricturae fibrarum symptomata. Quae in tela cellulosa obtinet strictura, aucta densitate; quae musculos occupat, firmitate et adstrictione; quae vasa detinet, majoris duritiei sensu indicari solet. In strictura universali, totum corpus tensionis et siccitatis speciem prae se fert, et cutis in primis sicca est, neque mollitiem naturalem exhibet.

§ 317.

Quod attinet ad effectus secundos, multa et varia excitat circuitus humorum, secretionis, excretionis, nutritionis, incrementi, motuum ac sensuum impedimenta; prout vel in universo corpore, vel in singulari hujus parte obtinet. Gaubius.

§ 318.

Causae praedisponentes sunt conditiones singulae, quae in statu etiam sano majorem fibrarum stricturam provocant, aetas adulta et senescens, sexus virilis, temperamentum cholericum et melancholicum. Etiam illi, qui calidiores et sicciores regiones incolunt, in hoc vitii genus proclives sunt.

§ 319.

Quae occasionem praebent causae, vel physica, vel dynamica ratione operantur. Ad illas referuntur: calor, frigus siccum, pressio, distensio partium etc. Ad has: animi pathemata excitantia, cibi potusque stimulantes, exercitatio nimia, justo brevior somnus, alia. Neque tamen credas aliquam esse causam, quae non simul in vim vitae agat.

§ 320.

Causa proxima non solum in praevalente fibrarum contractione, sed etiam in aucto earum turgore ponenda est. Quapropter strictura ea habenda videtur conditio, in qua fibrae statum aliquem induere conantur, cui renituntur alia virium genera.

§ 321.

Medendi methodus differt in strictura fibrarum primaria et secundaria.

§ 322.

Fibrarum stricturae, quae a vasculosi vel nervei generis irritatione pendet, medetur methodus vel antiphlogistica, vel sedans, antispasmodica.

§ 323.

In fibrarum strictura primaria utendum est methodo *emolliente* vel *relaxante*, qua fibrae praeter naturam rigidae vel contractae, ad justam, et sanitatis legibus consentaneam, mollitiem reducantur.

§ 324.

Indicantur autem, quae *relaxantia*, *emollientia*, *lenientia*, *demulcentia* medicamenta dicuntur: 1) a nimia partium solidarum rigiditate, irritabilitate et sensilitate; 2) a stimulo morboso his applicato; 3) ab acrimonia humorum, quam vel diluendo, vel involvendo, minuere licet; 4) a defectu muci vel alius tegminis naturalis, necessarii. Voltelen.

§ 325.

Ad relaxantem et emollientem methodum referas cum remotionem stimulorum, quibus nimia fibrarum strictura debetur, tum corporis animique quietem.

§ 326.

Si ipsa medicamenta spectes, possunt sequentes emollientium species constitui:

1) *Emollientia humida*, ut aquosa tepida, cum ad internum usum, tum formâ balnei, vaporum, fomenti, cataplasmatis, injectionis, clysmatis, etc.

2) *Lenientia*, ut mucilaginosa omnia, lacticinia, gelatina animalis.

3) *Pinguia*, *lubricantia*, velut olea blanda et pinguedines.

4) *Subdulcia viscosa*, veluti fructus ficuum, jujubae, sebestae. Voltelen.

§ 327.

Quo magis emollientium indoles et temperatura ad proprietates sanguinis caeterorumque corporis humorum accedant, eo magis vi relaxante excellunt.

§ 328.

Ex eo autem, quod medicamenta, quo magis corpori nostro amica, et omni stimulo irritante destituta sint, co magis mollitiem corporis naturalem restituant, ex ea observatione tum eorum agendi ratio explicanda est, tum quorundam praesidiorum, balnei tepidi, balnei animalis, clysmatis emollientis et similium, magna praestantia intelligi potest.

CAPUT IV.

De torpente vasorum actione et de methodo stimulante, vel irritante.

§ 329.

Medicamenta, quae defectum vigoris in vascu-

loso genere corrigunt, *stimulantium*, ea, quae nervorum torpori medentur, *excitantium* nomine insignire cupientes, non ignoramus, plura remedia esse, quae simul sensum in partibus sentientibus, irritabilitatem in vasis sanguiferis, motum in partibus musculosis, excitent et augeant. Quae enim de paucis valent, non ad omnia possunt referri, neque etiam in iis, quae compositam habent actionem, perinde est, in quas partes proxime et maxime agant.

§ 330.

Vigorem in genere vasculoso deficientem vel justo minorem notare solent pulsus parvus et mollis, plerumque justo celerior, respiratio magis minusve laesa, turbata plerorumque organorum secretio, pallor universalis et frigus, agrypnia, animi deliquia, et alia signa minus constantia.

§ 331.

Cordis et vasorum torporem plures causae efficere possunt, connata generis vasculosi debilitas, magna et subita sanguinis jactura, vitiata humorum crasis, imperfecta aut turbata respiratio, pessumdata corporis nutritio, similia.

§ 332.

Si vasorum torporem vel debilitatem excitaverint nimia irritatio, phlethora, spasmi aliaeque causae, quae vires vitales supprimunt, debilitati huic, quae *apparens* dicitur, respondent *antiphlogistica* methodus, *antispasmodica*, aut si quo alio remediorum genere opus sit, ad tollenda, quae adsunt, impedimenta.

§ 333.

Remediis, quae nervorum *sensilitatem* potissi-

mum *excitant*, opus est, si vasculosi generis adynamiam induxerit torpor vel stupor nervorum, ut v. c. in syncope post pathemata gravia.

§ 334.

In vasorum torpore, qui causis debetur § 331 recensitis, vere debilitantibus, methodus adhibetur *irritans* sive *cardiaca*, id est ea conducunt medicamenta, quae cum cordis et arteriarum vires erigunt, reficiunt, augent, tum naturalem sanguinis copiam et indolem restituunt.

§ 335.

Medicamenta, quae Ars adhibet eo consilio, vel *celerrime stimulantes* atque fugaces vires habent, vel lentiores magisque *durabiles* effectus exserunt.

§ 336.

Inter remedia *incitantia diffusibilia*, quo nomine primum genus distinguitur, referri merentur vinosa, aetherea, naphthae, olea volatilia et empyreumatica, balsamica remedia, opiata, camphora etc.

§ 337.

Inter ea, quae *stimulum fixum*, id est effectum magis *durabilem* habent, Martialia excellunt, cortex Peruvianus, plura amara, et omnia ea, quae vasorum robur magis quam mobilitatem augent.

§ 338.

Ut inter utriusque generis medicamenta delectus fiat, morbo et aegrotanti consentaneus, attendendum est ad causam, cui torpor vasorum debetur, ad universam aegrotantis constitutionem, ad re-

spirationem, ad secretiones et excretiones praecipuas, ad virium modum et sensilitatis gradum.

CAPUT V.

De torpore generis nervei, et de excitante, quae huic respondet, medendi methodo.

§ 339.

Torpor generis nervosi (anaesthesis) ponit imminutam vario gradu sensilitatem, ita ut irritamenta vel tarde admodum, vel justo debilius percipiantur, omnesque, quae vi nervorum carere nequeunt, actiones corporis praeter modum vel langueant, vel more alieno perficiantur.

§ 340.

Indicant roboris et alacritatis in systemate nerveo defectum ea potissimum symptomata, quae functiones animales, sensus v. c. externos, motus voluntati obedientes, animi sensus mentisque vires vel justo debilius exerceri docent, vel inordinate. Notanda in primis est praecipuorum morbi symptomatum turbata ratio, inconstantia et irregularis successio.

§ 341.

Causae, quibus inducitur debilis vel lenta generis nervei actio, triplicis potissimum generis sunt. Vel per vim stimulorum diuturnam aut saepius repetitam, spirituosorum v. c. abusum, sensim exhausta fuit nervorum sensilitas; vel per causas vehementiores, quales sunt noxae a rebus externis illatae, mechanica pressio, cerebri aut medullae

spinalis concussio, paralysis aut stupor in nerveo systemate excitatus fuit; vel demum causae adsunt, impedientes, quominus sensilitatis dispendium restitui possit, animi pathemata deprimentia v. c., abusus Veneris, aliaeque res debilitantes.

§ 342.

Si post nimiam irritationem, systema nerveum torpet, neque naturae convenienter, regere potest singulas corporis functiones, tunc *debilitati huic apparenti* ea opponantur medicamenta, quibus aufertur stimulorum, qui praeter naturam sunt, infesta actio.

§ 343.

In iis etiam casibus, in quibus detegi nequeunt stimuli alieni irritantes, quos autem, praeter generis nervei debilitatem, erethismi, id est nimiae sensilitatis, comitantur symptomata, delirium v. gr., inquietudo, agrypnia etc., *sedantia* plerumque magis juvant, quam *excitantia* medicamenta.

§ 344.

Excitante igitur methodo utendum est, quando symptomata, generis nervei debilitatem indicantia, conjuncta sunt cum torpore vero, cum anaesthesia, motuumque vel tarditate, vel impotentia.

§ 345.

Excitantium autem medicamentorum effectus in aucta cernuntur corporis sensilitate, neque minus in fibrarum musculosarum, quas nervi perreptant, cum majorum, tum quoque minutissimarum, veluti in arteriis aut organis secernentibus, motu alacriori; tum denique in majori functionum animalium

vigore, ita ut mens ipsa haud raro novam et insignem hilaritatem adipiscatur.

§ 346.

Plerisque autem ex hac remediorum classe hoc vitium est, quod effectus eorum excitans plerumque nimis fugax sit, et, quod pejus est, saepe in contrarium effectum desinat, ita ut gratissimam illam alacritatem, et mobilitatem, et vigorem corporis, et suavissimam animi hilaritatem, qualia remedia quaedam stimulantia efficere solent, insignis languor, et debilitas, et hebetudo, et moestitia brevi excipiant. Gregory.

§ 347.

Intelligitur hinc, nunquam praeter necessitatem, excitantibus remediis utendum esse, eorum autem loco, nutrientia et roborantia medicamenta adhibenda esse, simul ac prostrata nervorum actio suscitata fuit, atque redierunt deficientes digestionis vires.

§ 348.

Interim excitantium remediorum alia magis, alia minus sunt volatilia. Inter ea, quae maxime fugaces habent effectus, pertinent v. c. Moschus, Castoreum, sal cornu Cervi, sal succini, oleum animale Dippelii etc., fluidi quoque electrici et Galvanici actio. Magis durabiles autem effectus tribuuntur Valerianae, foliis aurantiorum, Asae foetidae paucisque aliis.

§ 349.

Si quaeratur, quomodo haec remedia motus illos abnormes, qui spasmi dicuntur, interdum solvere possint, quippe quae actio proprie ad

sedantia pertineat, respondendum videtur cum Cl. Gregory: » Hoc efficere videntur partim vi sua roborante, quae corpus minus mobile reddat, partim validiore stimulo corpori dato, qui sensum vel actionem prioris superet ejusque effectum impediat, partim forsitan mutato sanguinis cursu, et simul cum hoc, vis nervorum fluxu, qui per actionem stimuli a partibus prius laborantibus ad alias deriventur."

§ 350.

In medicamentorum excitantium usu sequentia tenenda sunt praecepta: 1) attendatur ad superstitum sensilitatis et irritabilitatis gradum, tum ad earum indolem, non solum in singulis aegrotantibus, sed etiam in singulis corporis partibus; 2) securitatis ergo, in horum remediorum usu, initium fiat a stimulis levissimis; 3) fugaces eorumdem effectus sustententur, vel aucta medicamenti sumendi copia, vel stimulo interdum mutando, vel eundem per aliam viam administrando.

CAPUT VI.

De fibrae muscularis torpore, et de methodo tonicâ, roborante.

§ 351.

Imminutis vel sublatis fibrarum tensione et turgore vitali, ea musculorum reliquarumque, quae irritabilitate instructae sunt, partium excitatur atonia et laxitas, quae in summum roboris et virium detrimentum redundat.

§ 352.

Indicant autem fibrae muscularis (quo nomine reliquas etiam irritabiles partes complectimur) atoniam atque inertiam, habitus corporis laxus; facies pallida, tumida; segnities, languor, subitanea corporis fatigatio; lenta, minus valida, vel celeriter terminata corporis reactio. Partium vero internarum, quae a sensibus remotae sunt, torporem notant praecipue justo debilior vel irregularis earundem functio, quamvis secretiones et excretiones per eandem causam, praeter modum, possint augeri.

§ 353.

Ad hunc fibrae motricis torporem disponunt potissimum aetas infantilis, sexus sequior, delicatior solidorum compages, corporis animique inertia. Inter excitantes causas pertinent vita sedentaria, pigritia, somnus ultra modum protractus, aër humidus, vestimenta et stragula calidiora, potus aquosus tepidus etc.

§ 354.

Causa proxima in turbatâ virium vitalium ratione ponenda videtur, etsi torporem illum inducere vel promovere etiam possunt causae physicae, movendi facultatem minuentes, immodica partium extensio, diuturnior calidorum et humidornm administratio, similia.

§ 355.

Si fibrae muscularis atonia seu resolutio per causas mechanicas fuerit inducta, ea plerumque sufficiunt praesidia, quibus physicae quoque solidarum humani corporis partium vires ad instituendam contractionem incitantur, frigus v. c. externum, me-

dicamenta adstringentia topica, aequabilis partium pressio, frictiones, alia. Neque tamen negligenda est, quae his quoque praesidiis competit, *dynamica* agendi ratio.

§ 356.

Si atonia nascatur e sanguinis vitiis, quae impediunt, quominus fibrae musculorum rite alantur et turgorem vitalem a sanguine accipiant, opus est methodo *corrigente*, de quâ mox erit dicendi occasio.

§ 357.

Interest etiam quam maxime, verae fictitiaeque debilitatis notas rite pernosse, ne, fatali errore, illa, quam Natura, a primo morbi impetu oppressa devictaque, nonnunquam simulare videtur, quaeve ex turgente circa praecordia materie quandoque apparet, pro verâ virium jacturâ tractetur. In fictitia enim ista debilitate larga venaesectio aut remedium emetico-catharcticum vigorem ilico restituunt, quae in verâ summopere obessent. Voltelen.

§ 358.

Roborante igitur methodo tunc praecipue utendum est, quando partium solidarum, musculorum potissimum, atonia a torpente vel exhausto virium vitalium vigore repetenda est.

§ 359.

Sunt autem roborantia medicamenta, quae durabile, et ut plurimum universale, virium vitalium incrementum efficiunt, atque elasticitatis praesertim, irritabilitatis et contractilitatis phaenomena augent.

§ 360.

Indicantur haec: 1) a debilitate et a flacciditate, seu laxitate nimia et inertia, interdum quoque a teneritudine et gracilitate; 2) a torpore seu atoniâ et resolutione, quod utrumque vitium est actionis in fibra motrice vel deficientis, vel exstinctae; 3) a sensu vel obtuso vel abolito, quorum illud vitium languor, Graecis ἀσθένεια, hoc stupor Gr. ἀναίσθησις dicitur; 4) a sensibilitate etiam nimia, si debilitatis effectus est; 5) ab auctâ humorum secretione morbosâ, si per languorem inducta fuit; 6) ab eorundem tenuitate nimia. Voltel.

§ 361.

Abstinendum est a methodo tonica, roborante, in affectionibus omnibus, vitam auctiorem habentibus, in haemorrhagiis activis, critici generis, in secretionibus et excretionibus aliis, quibus corpus, propter diuturnitatem, vi consuetudinis, indigere videtur. Cave, ne in errorem inducaris ab iis, quae de *inflammatione passiva* delirant Medici, ἀνακυκλέοντες ἐν πόλεσι.

§ 362.

Ad roborantium remediorum classem referri merentur: 1) ea praesidia, quae mechanicâ ratione operantur, ut idonea corporis exercitatio, ambulatio, equitatio, gestatio in curru, navigatio, frictiones etc.; 2) grata animi pathemata, gaudium, spes, amor etc., quae non solum excitant vitam, sed vitae quoque pabulum praebent; 3) victus idoneus; 4) medicamenta, quae irritabilitatem et robur in fibrâ animali augent, crasin humorum corrigunt, nutritionem corporis promovent.

§ 363.

Inter pharmaceutica praesidia, roborante virtute instructa, praeter frigus variâ formâ administratum, notari praecipue merentur: ex *inorganico regno*, 1) martialia et alia metalla adstringente virtute praedita; 2) acida mineralia: e *regno vegetabili;* 1) remedia amara; 2) amaro-aromatica; 3) amaro-adstringentia: ex *animali regno*, 1) gelatina animalis; 2) lac animale, vitelli et albumen ovorum; 3) fel tauri; quae medicamenta animalis originis, propter vim nutrientem, ad hunc lorum referri merentur.

§ 364.

Id ipsum rationale est, inter multa similia genera et morborum et remediorum, cogitare, quo potissimum medicamento sit utendum. Cui Celsi praecepto, in adhibendis roborantibus medicamentis, eo melius satisfacere poterimus, quo accuratius in aegrotante res singulas, in morbo autem ea, quae communia sunt, cognoverimus.

CAPUT VII.

De sanguinis aliorumque humorum abundantia, et de methodo detrahente.

§ 365.

Ea est inter singulas corporis humani partes, cum fluidas, tum solidas, conspiratio atque necessitudo, ut nec hae illis, nec illae his carere queant, et ut neutrae possint aegrotare, sine eo, ut universa corporis oeconomia male afficiatur.

§ 366.

Constitit, effectus morbosos quam plurimos oriri, si solida a sanitatis normâ deflectunt, id est peccante virium vitalium ratione in partibus illis, quae *similares* vocantur. Similiter summa sanitatis damna oriuntur, si fluidorum, e quibus maximam partem, corpus humanum constat, vel copia mutatur vel indoles, in primis, si sanguinis proprietates a statu sano recedunt.

§ 367.

Ea boni sanguinis abundantia, quam systema circulationis, sine sanitatis discrimine, diu ferre non possit, vocatur *Plethora.* Reliquorum humorum ea multitudo, quae oneri est atque functiones turbat, *Polychymia* dici solet.

§ 368.

Plethoram indicant bonus corporis habitus, colore cutis magis rubente, in locis praesertim, qui tenera epidermide tecti sunt; adnata oculorum profundius tincta, tumentes venae, auctus corporis calor; pulsus plenus et magnus; segnities, somnolentia, vertigo; impedimenta denique varii generis, quibus corporis functiones turbantur. Polychymia praecipue noscitur ex habitu corporis pleno et succulento, cum laudabili sanguinis crasi conjuncto.

§ 369.

Ad plethoram in primis proclives videntur cum homines mollioris habitus, quibus temperamentum sanguineum, tum etiam corpora strictiora, quibus temperamentum cholericum. Dein plethora frequentissime incidit in adolescentes, tempore puber-

tatis, in mulieres gravidas, et in homines brevi staturâ habituque corporis quadrato insignes. Ad multitudinem humorum universalem praeterea disponunt laxa solidorum compages, major nutritionis quam secretionum alacritas.

§ 370.

Occasionem praebet lautior, otiosa, secura, a mentis labore aliena, vivendi ratio, qua robusta viscera plus generant chyli sanguinisque laudabilis, quam nutritio et excretiones necessariae sibi postulant. Gaubius.

§ 371.

Medemur sanguinis aliorumque humorum abundantiae eâ sanandi methodo, quae *detrahentis* nomine insigniri potest. Quo referri oportet, praeter medicamenta antiphlogistica, de quorum usu antea diximus, ea recuperandae sanitatis praesidia, quae magis agunt *demendo*, quam aliquid *adjiciendo*, quaeque maximam partem, generis diaetetici sunt.

§ 372.

Praecipua, quae huc faciunt, Artis medicae instrumenta sunt corporis motus et exercitatio in aëre frigidiusculo, modica mentis animique intentio, parcior ciborum minus nutrientium usus, arte factum evacuationum naturalium incrementum.

§ 373.

Quod ad actionem fabricatum est, corpus motu carere nequit sine eo, ut turbetur sanitatis integritas. Qui vitam otiosam, desidem agunt, praeter modum saepe pinguescunt. Idonea corporis,

musculorum praecipue, exercitatio praeclarum est Plethorae et Polychymiae remedium.

§ 374.

Modica mentis animique exercitatio in nimiâ sanguinis aliorumque humorum abundantiâ commendari meretur, quoniam justo majorem functionum organicarum vigorem, lege antagonismi, auferre valet major functionum, quae animales vocantur, intentio.

§ 375.

Summum praesidium in victu parciori quaerendum est. Alimenta conveniunt, quae imbecillae aut infirmioris naturae sunt, vegetabilia praesertim minus nutrientia. Pro potu sit aqua frigida, neque tamen immodice sumta.

§ 376.

Promovendo evacuationes corporis naturales, alvum praecipue atque diuresin, aut restituendo eas, quae abierunt in consuetudinem, ut v. c. haemorrhoïdum fluxum, Plethorae et Polychymiae optime non raro medentur Medici.

CAPUT VIII.

De materiae organicae, humorum praecipue, inopiâ, et de methodo nutriente.

§ 377.

Sanguis, quem vitae pabulum jure dixerunt, quique vel ad hunc parandum faciunt, vel vicissim e sanguine secernuntur, humores, paucitate morbosâ integritatem sanitatis possunt turbare.

§ 378.

In sanguinis boni inopiâ, naturalis deficit corporis ejusque partium turgor, collabitur facies, frigus extrema detinet, pulsus arteriarum parvi sunt et frequentes, vel etiam cum mollitie lenti. Interdum quoque vita nervorum prae eâ vasorum praevalet, ita ut delirium mite, spasmi et convulsiones, animi deliquia oriantur.

§ 379.

Sanguinis autem inopiam vel oligochymiam universalem efficiunt nimia fluidi vere vitalis jactura, cibi penuria, vel vitia concoctionis, profusae corporis secretiones et excretiones, quidquid denique vitae vires, quibus corpus regitur, vel materiam organicam, quâ vires aluntur, aut debilitat, aut magno aliquo detrimento afficit.

§ 380.

Cui sanguinis aliorumque humorum inopiae, quippe quâ non solum turbetur nutritio, verum sensilitas quoque et irritabilitas corporis exhauriantur, medendum est *methodo nutriente.*

§ 381.

Nutriendi consilio, in primis adhibentur praesidia diaetetica, id est cibus et potus. Quo duplici alimentorum genere universa Natura abundat.

§ 382.

Vegetabilium, cibo nostro servientium, plura sunt genera; *frumenta*, vel *semina farinosa*, *legumina*, *olera*, *radices esculentae* et *tubera*, *fructus* tum *arborum*, tum *fruticum*, tum *herbarum.*

§ 383.

In victu animali etiam magna varietas obtinet. Frequentissime adhibentur carnes *quadrupedum*, *avium*, *piscium*. In earum salubritate judicanda, cum ad animalium aetatem, victum et vivendi genus, tum ad modum, quo in usum nostrum praeparantur, attendas.

§ 384.

In aqua, in lacte, in cerevisia et vino magna sunt nutriendi corporis adjumenta.

§ 385.

In singulas fere alimentorum et potulentorum species transferre licet distinctionem, quam adhibuit Celsus, inter ea, quae aut *valentis* et *firmae*, aut *mediae*, aut *imbecillae* vel *infirmioris* naturae sunt.

§ 386.

Si quis in arte aegrotos cibandi proficere cupiat, legat praecepta, quae Hippocrates tradidit in Libro de victu acutorum et in Aphorismornm Sectione prima et secunda.

CAPUT IX.

De spissitudine humorum, quae praeter naturam est, et de methodo diluente.

§ 387.

Verisimile est, existere certam aliquam eorum, e quibus sanguis componitur, partium proportionem mutuam, quae sanitati perfectae maxime conveniat. Nec credendum tamen, adeo hanc esse necessari-

am, ut quicumque ab eâ recessus impune ferri nequeant. Vitium itaque demum fuerit, si major est recessus idemque a singulari sui hominis constitutione multum alienus. Gaubius.

§ 388.

Inter sanguinis vitia primo loco, memorari meretur illud, quod spissitudinem sanguinis inflammatoriam dicunt. Qualis sanguis (haec sunt verba Friedländeri), velut altioris vitae igniculos recondens, magis calet, turget, atque partium praestantissimarum, cruoris et fibrinae, abundantiam exhibet.

§ 389.

Indicare solent istam sanguinis indolem ea symptomata, quae plethorae et orgasmo vasorum propria sunt. Inter effectus referantur congestiones locales, omnium corporis munerum incitatio, febres et inflammationes, cum simplices, tum exsudativae.

§ 390.

Ad hoc morbi genus disponunt aetas adulta, temperamentum cholericum, magnum corporis robur, major vasorum irritabilitas. Occasionem praebent, quaecumque vitam sanguinis augent, cibi et potus condimentis referti; vis aëris puri, frigidi, sicci, electrici; praeter modum facta corporis exercitatio; in primis vero febres et inflammationes, à stimulo locali inductae.

§ 391.

Praeter venae sectiones et alia medicamenta antiphlogistica, de quibus antea diximus, conveniunt in spissitudine sanguinis inflammatoriâ ea remedia, quae vocantur *diluentia*, i. e. quae seri copiam

in sanguine augent, et auctiorem vasorum vitam eodem tempore, deprimunt.

§ 392.

Referuntur ad hoc genus ea medicamenta, quae maximam partem ex aqua constant, emollientem aliquam vim habent, sed exiguam continent partium nutrientium copiam: qualia sunt aqua pura, serum lactis vel simplex vel acidulatum, Decoctum graminis, Decoctum hordei tenuissimum, similia.

§ 393.

Praeter *inflammatoriam* alia est spissitudinis species, quam *atrabilariam* dixerunt veteres. Ejusmodi sanguis habetur is, qui ex majori crassamenti copiâ, solito spissior est, et magis nigricantem habet colorem, praevalente carbonis in sanguine principio. Videtur igitur sanguis oxygenio aëris non satis subactus, et ejus, in arteriis quoque, naturae particeps, quae in sanguine venoso notari solet.

§ 394.

Praeter ea, quae in aegrotantium habitu conspiciuntur, constitutionis atrabilariae signa, talia potissimum notantur symptomata, qualia a tardiori sanguinis motu illiusque congestione ad organa abdominalia, in primis ad systema venae portarum, pendere censentur, cujusmodi sunt haemorrhoïdes, melaena, hypochondriasis, alvus inordinata etc.

§ 395.

Ejus generis sanguinem habent homines, qui constitutione venosâ instructi sunt, id est, qui corpore macilento atque toroso, oculis et capillis

nigris, cutis colore fusco, subflavo notantur, quibus motus tardus est, animus in tristitiam proclivis. Caeterum hanc constitutionem prae se ferunt inprimis faeminae virique aetate provectiores, temperamento melancholico et phlegmatico praediti, causisque obnoxii, quibus morbi venosi efficiuntur. Friedländer.

§ 396.

In quâ rerum conditione, praeter laxantia et alia medicamenta, derivatione salutari proficua, ea conveniunt, quae *corrigentia* vocantur, Capite sequenti accuratius explicanda.

CAPUT X.

De morbosâ humorum tenuitate et de vitiatâ eorum crasi, atque de methodo corrigente, antiseptica.

§ 397.

Praeter modum abundat quandoque serum sanguinis, ita ut hic praeter naturam tenuis et aquosus, ad nutritionem corporis et ad secretiones ineptus sit.

§ 398.

Eam seri multitudinem ex ipso corporis habitu, e plerarumque functionum torpore, e sanguinis, corpori per venae sectionem detracti, naturâ cognoscere licet. Pallent ejusmodi aegrotantes, livent frigentque, musculis robore destitutis, pulmonibus spiritum aegre ducentibus, corde saepius palpitante, humore seroso in telam cellulosam aut in corporis aliquod cavum quandoque effuso. Praeter

functiones vitales, illae etiam, quas animales et naturales dicunt, ut plurimum languent. Sanguis vel sponte, vel artis auxilio, e corpore evacuatus, majorem exhibet seri copiam, insulam, quae ex cruore et fibrâ est, mole minorem, minori tenacitate praeditam, pallidius coloratam.

§ 399.

Quum serum facilius parari videatur quam cruor et fibra, prava haec sanguinis natura proxime pendere videtur a potentiae conformatricis languore. Quapropter illi morbi, qui viribus languorem inducunt, atque nutritionis potissimum officinam male afficiunt, sanguinem multo sero diluere solent: exemplo sit Chlorosis, morbus virginum pubescentium, virium torpore, acido primarum viarum, sanguine seroso, turbatâ mensium secretione insignis. Friedländer.

§ 400.

Praeter simplicem hanc, quae ex seri abundantiâ est, sanguinis caeterorumque humorum tenuitatem, alia quoque sunt vitiatae craseos genera, verbo jam memoranda. Uberiorem enim hujus rei explicationem vetat observationum, quibus illustrare possimus saniorem pathologiam humorum, defectus.

§ 401.

Esse autem et esse debere ejusmodi vitia, quibus mixtio et universa natura cum sanguinis, tum aliorum humorum, mutetur, et experientia et ratio satis luculenter docere videntur.

§ 402.

Quum vero sanguinis vitam praecipue moderari

videantur, cum vasorum, tum nervorum, atque organorum, quae ex his composita sunt, secernentium ac resorbentium proprietates vitales, probabile est, vitia humorum, vel plerumque, vel semper, morbos esse secundarios, a vitiata solidorum agendi ratione oriundos.

§ 403.

Nihilominus vitia humorum, sanguinis praecipue, accuratius merentur intelligi, quoniam indubium est, fluidas corporis humani partes, eas praesertim, quae ad nutritionem inserviunt, suam vicissim habere in solida efficacissime agendi potentiam.

§ 404.

Inter ea vitia, quae aliquo saltem modo cognoscere valemus, cum e symptomatum, quae in aegrotante notantur, ratione, tum ex ipsius sanguinis exploratione, ille status pertinet, quem *dissoluti* nomine insignire solent. Tenendum autem, sanguinem, quamdiu vivit atque per vasa corporis fluit, numquam adeo graves subire posse mutationes, quales, vel post mortem aegrotantium, vel in sanguine e venis effuso, cernere consuevimus.

§ 405.

Sanguis vero *dissolutus* liquoris tenuis et aequalis speciem refert, atque adeo exiguam habet coagulandi vim, ut fibrina et cruor extra corpus quoque, vix a sero separentur. Si insula formetur, nigricans et fere pultacea est, aut pelliculâ tenui subviridi tegitur, vel etiam inferior placentae pars nigricantem, coenosam materiam, floccorum adinstar, deponit.

§ 406.

Sanguis hoc vitio affectus et ex vasis relaxatis sub cutem effusus, vibices et petechias efficit; ex aliis quoque partibus profluens vix potest cohiberi. Verumtamen et solidae corporis partes dissolutionis noxam experiuntur, quippe quarum compages facile relaxetur. Hinc cicatrices jamjam sanatae rumpuntur, cutisque partes diuturno cubitu laesae gangraenam recipiunt. Denique, peste latius propagatâ, totum corpus dissolvitur ac mortem occumbit. Friedländer.

§ 407.

Inter causas recenseri merentur frigus humidum, aër paludosus, vappidus, non satis renovatus, aquae dulcis et leguminum defectus, victus durus, digestionis difficilis, carnes et pisces sale conditi vel fumo indurati, aut quod pejus, corrupti et putres, vita sedentaria, neglecta mundities, moeror, tristitia, febres, contagia et quidquid vires vitales vehementer infringere vel prosternere valet.

§ 408.

Praeter ea sanguinis vitia, quae per sensus aliquam partem explorari possunt, plurima alia sunt, quorum indoles penitus fere latet, quo referas mutationes, quas sanguinem in Lue venerea, Rhachitide, Scrophulis, Arthritide aliisque morbis subire, ratio et analogia suadent.

§ 409.

Quae ad corrigendam sanguinis aliorumque humorum crasin Ars habet praesidia, *remediorum corrigentium* nomine insigniuntur. Quorum agendi

ratio, pro maximâ parte, nos latet. Certum fere est, quaecumque ad hanc Classem referuntur medicamenta, si per naturales vias in corpus introducuntur, prius in solida, quam in fluida agere, fluidorum autem mixtionem emendari, mutatâ conditione vitae in partibus solidis.

§ 410.

Possunt quidem omnia remedia, quae nutritionem promovent, sanguinis secretionem corrigunt, corruptas aut nocivas humorum particulas per organa excretoria expellunt, *corrigentia* dici. Sed strictiori sensu, huc referuntur Martialia, Acida mineralia, cortex Peruvianus, medicamenta denique varii generis, quae in dyscrasiâ scrophulosâ, syphiliticâ, scorbuticâ etc. prodesse, experientia docuit.

§ 411.

Quod ad medicamenta memorata attinet, haec fere tenenda sunt: Martialia potissimum convenire in aquosa humorum tenuitate; acida mineralia prodesse, si sanguinis dissoluti symptomata adsunt; corticem Peruvianum adhiberi, ut utriusque generis remediorum actio sustentetur, promoveatur. De iis medicamentis, quibus opus est in *Cachexiis*, quae vocantur, *specificis*, in Therapiâ speciali agendum est.

Affectiones morbosae simplices, quae in partibus dissimilaribus obtinent, atque medendi consilia, quae in iis conveniunt.

CAPUT XI.

De colluvie gastrica, ventriculum vel superiorem intestinorum tractum gravante, et de methodo emetica.

§ 412.

Ventriculum et superiorem canalis cibarii partem gravare potest materies noxia varii generis, quâ vel *functiones naturales* solum, vel simul aliae quoque actiones corporis, magis minusve laeduntur.

§ 413.

Ejusmodi *colluvies gastrica* (quo nomine insigniri solet, quidquid ventriculum gravat et opprimit) vel ex *ingestis* constat, copiâ aut indole suâ peccantibus; vel *materies inquilina* est, in ipso ventriculo genita, mucus tenax v. c., chymus acidus; vel etiam vi morbi, aliunde, e vicinis aut dissitis partibus, in ventriculum fuit deposita.

§ 414.

Eam colluviem, quae ventriculo potissimum oneri est, notare solent, ut signa mittamus, venenis quibusdam propria, lingua sordida et sapor oris amarus, foetidus, pinguis; ciborum fastidium; ructus frequentes; nausea et conatus vomendi; oppressio et plenitudinis sensus in epigastrio; dolor obtusus capitis, praesertim supra orbitas; anxietas, inquietudo, vertigo. Quae symptomata eo sunt manifestiora, quo magis materies mobilis sit atque turgeat sursum.

§ 415.

Natura in hac corporis conditione, non raro brevissimam atque tutissimam et monstrat, et ingreditur viam, ut, qualia expelli oportet, sursum per os ejiciantur. Per vomitum spontaneum, quidquid insalubre est, biliosi, verminosi, mucosi generis, aut si quae alia tubum intestinalem infestant, ipsa venena quoque, saepissime e corpore expelluntur, sine aliquo Artis auxilio.

§ 416.

In eum finem Ars adhibet *emetica*, seu medicamenta, quae excitant vomitum. Est autem vomitus, eorum, quae in cavo ventriculi continentur, aut ex vicinis visceribus illuc congeruntur, violenta et fastidiosa per guttur superius expulsio. Gaubius.

§ 417.

Emeticorum usu autem non solum sursum expelluntur ea, quae in ventriculo et intestino duodeno continentur, verum alii quoque, salutares saepe, ex eo oriuntur effectus, vel in partibus ventriculo vicinis aut conspirantibus, vel in remotissimis etiam, atque in toto corpore. Ex membranarum quippe consensu, ex analogia structurae, atque partium communi officio, explicandum videtur, quare, post usum emeticorum, moveatur alvus, augeatur perspiratio cutanea, promoveatur diuresis. Quoniam praeterea ejusmodi medicamenta totum genus nervosum quodammodo excitant, mirum non est, vasorum actionem incitari, stamina nervorum commoveri, sedari spasmos, et omne, quod sublatum erat, aequilibrium atque

harmoniam functionum in integrum quandoque restitui.

§ 418.

Indicant emeticorum usum: 1) materies quaecumque venenata, in cavo ventriculi primoque canali cibario haerens, vel deglutita, vel per spiritum introducta, vel simul cum salivâ ad interiora propulsa; 2) irritamenta mechanica, ventriculo, oesophago, laryngi vel asperae arteriae infesta, incaute plerumque deglutita, quandoque tamen in partibus ipsis per secretionem formata; 3) moles indigesta et insalubris varia, ventriculo vel duodeno molesta, mucosa, biliosa, saburralis, putrida; 4) ea interdum symptomata, quae summum irritabilitatis et sensilitatis torporem, spasticam cutis stricturam, aut suppressas secretiones alias indicant.

§ 419.

Ab emeticis vel abstinendum, vel caute iis utendum esse docent: 1) plethora et congestiones, aliaque Circulationis impedimenta gravia; 2) pertinax alvi obstructio; 3) vitia organica varia; mala pectoris conformatio, collum longum et guttur angustius, vomicae pulmonales, herniae, prolapsus, aneurysmata, calculi; praegressa haemoptoë, vomitus cruentus; aetas et dispositio apoplectica.

§ 420.

Quum facultas movendi vomitum, quae medicamentis emeticis inest, peculiaris sit, nec a stimulo solo, quem inducunt, repeti possit, difficilis eorumdem est in ordines aut genera divisio.

Interim alia aliis magis stimulant, neque eadem est singulorum actio secunda.

§ 421.

Inter emetica *relaxantia* Voltelenius refert aquam tepidam, copiosam, vel solam, vel oleosis emollientibus, dulcibus mixtam; inter emetica *resolventia*, praesertim Squillam, Tartarum emeticum et reliqua stibiata; inter *calida*, Ipecacuanham et Gratiolam; inter *drastica*, Vitriolum album, Turpethum minerale, Helleborum album et Nicotianam.

§ 422.

Emeticorum actio nonnunquam promovenda est potu copioso, faucium irritatione, levi regionis epigastricae frictione et similibus, quippe quae praesidia vomitum pleniorem, et faciliorem, et promptiorem facere soleant.

§ 423.

Ut non promiscue, sed Naturae convenienter, utaris emetico, attendas: 1) ad materiae evacuandae indolem; 2) ad universalem aegrotantis irritabilitatem et sensilitatem; 3) ad ventriculi et totius canalis cibarii conditionem; 4) ad effectus secundos, a remedio administrato exspectandos.

CAPUT XII.

De colluvie gastricâ, tenuia vel crassa intestina occupante, et de methodo purgante, catharcticâ.

§ 424.

Ut ventriculum et duodenum, sic etiam inferiorem tractus intestinorum partem sordes grava-

re possunt, quae *gastricae* dici solent, quaeque vel mole suâ, vel indole, sive indigestae sint ciborum reliquiae, sive in corpore ipso sint genitae, molestias creant, *Gastricismi* nomine notas. Praeterea per brevius longiusve tempus obtinere potest *alvi obstipatio*, vel etiam *inordinata alvi excretio.*

§ 425.

Symptomata, quibus saburram gastricam in tractu intestinorum adesse scias, sunt: anorexia, carnis praecipue fastidium, lingua sordida, plenitudinis aut tensionis sensus in abdomine, in primis in regione umbilicali, alvus deficiens vel admodum inordinata, sine multo levamine, absentia denique signorum, materiem sursum turgere, indicantium.

§ 426.

Quale vitiorum genus, praeter diaetae errores, qui frequentissimi sunt, inducere solent turbata humorum, qui digestionem promovere intestinaque humectare et lubrica reddere debent, secretio; vera intestinorum debilitas vel fibrarum, quibus praedita sunt, muscularium torpor; spasmodica intestinorum constrictio, aut alia quoque eorum vitia, sive dynamica, sive organica; irritamenta denique varia, quae aliunde, sympathiae aut antagonismi lege, in canalem cibarium transferuntur.

§ 427.

Morbosae huic conditioni Natura saepe sola medetur, per viam naturalem expellendo ea, quae oneri sunt. Eodem adminiculo saepissime utitur ad varios sanandos morbos, cum acutos, tum

chronicos, eos etiam, quorum sedes non in ipso tractu intestinorum quaerenda est.

§ 428.

Quibus Ars in eo casu, corpori prodesse conatur, praesidia, ad methodum pertinent *purgantem*, *catharcticam*, id est ad eam remediorum classem, quibus frequens obtinet materiae copiosae, interdum liquidae, per alvum excretio.

§ 429.

Si quaeras agendi rationem, duplici potissimum modo medicamenta purgantia operari videntur, vel secretiones in intestinis augendo, vel peristalticos eorum motus promovendo.

§ 430.

Ad secundarios eorumdem effectus referas potissimum: 1) circuitum sanguinis in tractu intestinorum et in partibus vicinis incitatiorem; 2) humorum a superioribus et a periphericis corporis partibus derivationem; 3) incrementum actionis in genere vasorum lymphatico.

§ 431.

Indicant remediorum purgantium usum: 1) saburrae gastricae, biliosae, verminosae; irritamenta quaevis tractui intestinorum molesta, aut quibus universalis debetur morbosa corporis in stimulum alienum reactio; 2) ea symptomata, e quibus scire licet, peristalticos intestinorum motus deficere, lentum in abdomine fieri humorum circuitum, in vicinis partibus, in systemate venae portarum praesertim, vel obstructiones adesse, vel functionis saltem segnitiem: quo referas tarditatem alvi, icterum, haemorrhoïdes etc.; 3) illae sanguinis aliorumque

humorum ad superiores corporis partes, ad cerebrum, pulmones, ventriculum, congestiones, quae cum obstipatione alvi junctae sunt, aut derivante methodo indigere videntur; 4) ejusmodi conditiones morbosae, quae humores, serum sanguinis potissimum, vel imminuendos vel derivandos esse docent, ut hydrops v. c., nimia corporis sudatio, auctior urinae aut salivae fluxus, similia.

§ 432.

Medicamenta purgantia prudenter adhiberi oportet: 1) si alvi obstipatio admodum pertinax, aut si materies evacuanda non satis mobilis est; 2) si infirmitas, summa sensilitas, inflammatio, organica vitia tractum intestinorum detinent; 3) si humorum penuria in corpore obtinet, praesertim si signa adsunt, quae eorum in intestinis defectum indicant; 4) si per alias vias, evacuationem salutarem Natura instituit.

§ 433.

In hoc remediorum genere distingui solet, inter *eccoprotica*, qualia sunt Manna, fructus Tamarindorum, Prunorum, Cremor Tartari etc.; *purgantia*, ut Rheum, folia Sennae, Sal mirabilis Glauberi, Sal Epsamensis etc.; *drastica*, ad quae pertinent Aloë, Jalappa, Scammonium, Gummi Gutta etc.

§ 434.

In practicum usum, maxime notabilis distinctio est inter laxantia *frigida* et *calida*. Ad illa referas salia media multâ aquâ diluta, et mitissima medicamenta vegetabilia, quae vel oleosa, vel dulcia, vel acidiuscula sunt. Ad haec referuntur,

quae irritando agunt et calefaciunt, acria, amara, resinosa.

§ 435.

Inter externa remedia, quae adhibentur ad ducendam alvum, pertinent: 1) Clysmata et suppositoria; 2) Cataplasmata et frictiones in abdomine vel in infimo ventre.

§ 436.

Praeterea tenendum est, multas res non per se, sed per accidens, alvum adstrictam solvere, tollendo scilicet impedimenta, quae functioni rite peragendae obstabant.

§ 437.

In usu autem medicamentorum purgantium, attendas paesertim: 1) ad universam corporis constitutionem, ad virium rationem, ad morbi diuturnitatem, et ad conditionem secretionum caeterarum; 2) ad intestinorum sensilitatem et robur, ad secretiones ab iis perficiendas, et ad indolem materiae evacuandae; 3) ad effectus medicamenti, cum primos tum secundos, quos in alias habere solet functiones.

§ 438.

In universum, de usu purgantium haec valent praecepta: Quando firmae sunt aegroti vires, confidenter utere evacuantibus auxiliis, quae morbi conditioni respondent: debiles autem si fuerint, caute manum ad evacuantia adhibe. Galen.

Laedit vim vitae immoderata evacuatio. Galen.

In medicamentorum purgantium usu, qualia etiam sponte prodeuntia utilia sunt, talia e corpore

educi convenit: quae vero contrario modo prodeunt, prohiberi. Hippocr.

Si, quae purgari decet, purgentur, confert et leviter ferunt: contra vero graviter. Hippocr.

Satius est, successive et sufficienter evacuasse, quam festinantem et tumultuantem, una cum morbo, ipsum occidere aegrotantem. Alex. Trallian.

In valde acutis, si suopte impetu ad excretionem humor feratur, medicamento purgante eodem die utendum; siquidem in his cunctari malum. Hippocr.

Nescienti, quomodo propria uniuscujusque hominis natura comparata sit, periculum est, ne vel prorsus haud moveat evacuationem, vel moveat quidem, sed non sufficienter depleat. Galen.

Aestate quidem superiores ventres potius medicamentis repurgato, hieme vero inferiores. Hippocr.

CAPUT XIII.

De acido primarum viarum et de methodo, quae antacida dicitur.

§ 439.

Acidum primarum viarum vel laesae digestionis effectus est, vel peculiarem affectionem morbosam ventriculi pro causâ suâ agnoscit.

§ 440.

Praecipua symptomata sunt, ardoris sensus in cardia et in oesophago, acidi eructatio, adipsia, appetitus immodicus, pallor faciei, cardialgia, alvus inordinata etc.

§ 441.

Quibus fibra laxa est, temperamentum phlegmaticum, bilis iners, ventriculus debilis, ad acidum primarum viarum maxime dispositi sunt.

§ 442.

Occasionem praebent vita sedentaria, animi pathemata deprimentia, victus durus, alimenta mucilaginosa, farinacea, saccharina, acida, potus copiosus tepidus et alia, quae digestionem turbant.

§ 443.

Interdum vitiatae ventriculi secretioni, a mutatâ vitâ nervorum excitatae, acidi origo tribuenda est, in iis potissimum, qui spirituosis abusi sunt, aut qui hypochondriaco morbo, chlorosi, similibusque affectionibus laborant.

§ 444.

Natura saepe hanc affectionem sanat, instinctu animali aegrotantem in ea ferente, quae virtute antacida praedita sunt.

§ 445.

Ars huic morborum generi et malis ab eo inductis medetur methodo antacida, id est iis remediis, quae vel acidum absorbent, vel indole mutant, vel ejusdem origini adversantur.

§ 446.

Sunt igitur medicamenta antacida, vel: 1) *absorbentia*, ut lapides et chelae Cancrorum, testae Ovorum, Conchae, Calx, Creta, Magnesia etc.; 2) *antacida immutantia*, i. e. quae solâ ratione chemicâ, acidum indole mutant et in sales medios vertunt, ut alcalina remedia fixa et volatilia; 3) *obtundentia*, *involventia*, uti oleosa, gummosa,

gelatinosa; 4) *roborantia*, quae atoniae ventriculi medentur, ut fel Tauri, radix Colombo, Quassia, Rheum et alia, quae principium amarum et aromaticum continent. Voltel.

§ 447.

In usu remediorum absorbentium, non solum ratio habenda est hominis aegrotantis, sed praeterea attendi meretur: 1) ad vivendi genus et ad cibandi tempus atque rationem, eo consilio, ut, quae occasionem praebent, tollantur causae; 2) ad statum ventriculi, intestinorum, partiumque adjacentium, in primis etiam ad alvi rationem.

CAPUT XIV.

De vermibus, tractui intestinorum molestis, et de methodo anthelminticâ.

§ 448.

Inter corpora aliena, stimulo suo intestinis infesta, pertinent etiam entozoa vel vermes intestinales, qui vel genus morbi peculiare, helminthiasin, constituunt, vel plurimorum, eorumque diversissimorum morborum causae sunt.

§ 449.

Vermium praesentiam indicant: foetor oris singularis, salivae et muci abundantia, appetitus irregularis, nausea subitanea, tempore potissimum matutino, vomitus inanes, venter tumidus, durus, adstrictus, dolores colici vel suctionis sensus in regione umbilicali, pruritus narium, stridor dentium, tremores, pavores, convulsio, aphonia, animi deliquia, susurrus aurium, diplopia, pupillae dila-

tatio, labium superius tumidum, color faciei saepe mutatus, frequentes tenesmi, urina albida, jumentacea, muci putrescentis per alvum excretio, copiosa denique vermium, vel vivorum, vel mortuorum, per vias naturales expulsio.

§ 450.

Vermium origo e generatione aequivocâ explicanda, adeoque a statu pituitoso intestinorum proxime repetenda videtur. Pro causis igitur haberi merentur, quaecumque intestinorum debilitatem et inertiam promovent, victus durus, farinaceus, lacticinia, potus tepidi, aër humidus, vita otiosa, animi pathemata deprimentia, similia.

§ 451.

Therapeutice naturalis suas quoque vires anthelminticas habet. Post plenilunium vermes saepe sponte sua expelli dicuntur. In febribus continuis praecipue, quae vel a vermibus pendent, vel cum iis conjunctae sunt, tunc potissimum, quando aegrotantes per plures dies, solis medicamentis utuntur, anthelmintica Naturae virtus spectabilis est.

§ 452.

Quâ Medici utuntur, anthelmintica methodus complectitur medicamenta, quibus vermes intestinales necari et expelli possint, quibusque morbosa intestinorum dispositio simul corrigatur.

§ 453.

Anthelmintica medendi methodus non solum tunc indicatur, quando vermes symptomata excitant molesta vitaeque infesta, sed etiam eo in casu, in quo nullam affectionem morbosam inferunt, quum semper in nutritionis damnum, organa

digestionis occupent et morbosam dispositionem, quâ generantur et propagantur, continuo augeant.

§ 454.

Attamen plures conditiones esse possunt, quae vel efficacissimorum, a quibus vermes necatum et expulsum iri exspectes, remediorum usum prohibeant, vel quae suadeant ut cura in aliud tempus differatur.

§ 455.

Remedia anthelmintica haud unâ ratione operantur; agendi modus tamen saepissime latet. 1) *Mechanicis* et *chemicis dotibus* agere videntur limatura stanni et Martis, vitriolum Martis, flores salis ammoniaci martiales etc. 2) *Virtute* suâ *mucum solvente* et peristalticos intestinorum motus promovente, vermes expellere censentur salia alcalina et media, sal ammoniacus, sal culinaris, medicamenta purgantia, verisimiliter etiam mercurialia. 3) *Principiis amaris*, *adstringentibus*, *roborantibus* prodesse videntur radix Quassiae, summitates Absynthii, cortices nucum Juglandum etc. 4) *Narcoticâ* aliâve vi, entozoïs infestâ, salutaria esse videntur Santonicum, Tanacetum, Filix mas, radix Valerianae, Helmintochorton etc. 5) *Oleosa* etiam vermibus molesta sunt, ut oleum Ricini, oleum petrae, oleum Therebinthinae etc. 6) *Drastica* remedia in expellendis vermibus plurimum valent, Aloë, Scammonium, Jalappa, Gummi Gutta, caetera.

§ 456.

Anthelmintica remedia cum interne administrari possunt, tum formâ Clysmatis, inunctionis, vapo-

ris. Eorum, quâcunque formâ exhibeantur, actionem efficacissime promovet victus idoneus.

§ 457.

Ut illud, quod optime conveniat, medicamentorum genus eligatur, attendi oportet: 1) ad omnem aegrotantis rationem et ad ventriculi atque intestinorum conditionem; 2) ad vermium, qui intestina occupant, speciem, pro cujus quippe diversitate medicamenta diversa sint seligenda.

CAPUT XV.

De immodicis ventriculi et intestinorum excretionibus, atque de medendi consiliis, quae iisdem respondent.

De methodo antemeticâ.

§ 458.

Quamvis vomitus saepissime aliorum morborum *symptomà* sit, eorum praecipue, quibus vel genus nervosum, vel sensorium commune, vel organa abdominalia afficiuntur, nonnunquam tamen *morbi* nomine insigniri meretur, aut symptoma efficit momenti adeo plenum, ut neutiquam illius, in sanandi negotio, negligenda sit ratio.

§ 459.

Cujus affectionis plura sunt symptomata, vel nuntii, vel comites, vel pedissequi; nausea, anorexia, tensio et dolor in epigastrio, frigus et horripilatio, cum calore et sudore alternis, anxietas,

cephalalgia, vertigo, aucta salivae secretio, tremor labiorum, alia.

§ 460.

Vomitus causarum diversissimarum effectus est. In affectionibus cerebri, renum aliarumque partium *vomitus sympathicus* obtinet. Qui *idiopathicus* dicitur, vitiis debetur, ventriculum aut superiorem intestinorum tractum occupantibus: cujus generis sunt, praeter irritationem, quae a stimulo alieno fit (vomitus *a causa materiali*), vel nimia ventriculi sensilitas aut atonia (*causae dynamicae*), vel laesa atque vitiata fabrica (*vitia organica*).

§ 461.

Licet vomitus saepissime salutare sit naturae conamen, potest tamen justo vehementior et diuturnior esse. In utroque casu opus est auxilio Artis, i. e. eo medicamentorum genere, quibus ventriculi turbas sedari, vitiatam agendi rationem corrigi liceat.

§ 462.

Hac medendi ratione potissimum opus est: 1) si immodica et diuturna vomituritio vel morbum ipsum, vel princeps symptoma constituit; 2) si vomitus sunt inanes, sine levamine; 3) si vomendi conamina a causâ excitantur sympathicâ et ideo infructuosa sunt, sique morbus ipse, concussione et virium intentione assiduâ, augeri, ingravescere videtur.

§ 463.

Ut casus cognoscantur, in quibus ab hoc praesidiorum genere abstinendum est, sequentia prae-

cipue notanda sunt: 1) Sedulo inquirendum est, an in ventriculo vel inflammatio, vel affectiones aliae adsint, quae *therapeuticam*, ut dicunt, *indicationem* requirant; 2) Curandum, ne in vomitu sympathico et symptomatico, qualis a nephritide, ab herniâ incarceratâ, causis similibus obtinet, symptoma impugnemus, negligentes causam; 3) Ut eos casus rite distinguamus, in quibus vomitus salutares, vel arte etiam promovendi sunt.

§ 464.

Si vomitum sedari oporteat, secundum causarum diversitatem, utitur Ars praesidiis variis, praesertim vero: 1) medicamentis involventibus; 2) antispasmodicis; 3) antacidis; 4) derivantibus; 5) roborantibus.

§ 465.

Involventibus remediis opus est, si mucus naturalis, internam ventriculi superficiem investiens, deficere videatur, vel si causae aliae morbosam membranae mucosae sensilitatem induxerint.

§ 466.

Antispasmodica prosunt, si, evacuatâ materie et absente inflammatione, vomitum excitare videntur spasmi motusque ventriculi inordinati.

§ 467.

Antacida juvant, praesente acido primarum viarum, cujus praesentiam aegrotantium querelae indicant.

§ 468.

Interdum *derivante* methodo opus est, venae sectione, clysmate, balneo pedum, sinapismo,

aliis, ut medeamur sanguinis in ventriculum congestioni, saburrae gastricae, stimulo metastatico.

§ 469.

Roborantia remedia, amara et aromatica, indicata sunt, si atonia ventriculum detinet.

De methodo antidysenterica.

§ 470.

Inter affectiones morbosas simpliciores referri quoque meretur alvi fluxus immodicus, qui *diarrhoeae* nomine insigniri solet. Quâ intelligitur frequens et copiosa materiae, ut plurimum liquidae, per alvum excretio. Interdum etiam ea, quae excernuntur, peculiarem indolem referunt, ut in diarrhoeâ mucosâ, dysenteriâ, lienteriâ, fluxu coeliaco, et hepatico.

§ 471.

Symptomata, quibus stipatur aucta intestinorum excretio, differunt pro causarum excitantium diversitate. Plerumque tamen notantur tormina ventris, borborygmi, frequens et inanis desidendi cupiditas, animi pathemata deprimentia, debilitatis et frigoris sensus.

§ 472.

Causa proxima ponenda videtur, vel in motu peristaltico intestinorum praeter naturam aucto et cum magnâ humorum congestione conjuncto, vel in actione illorum, per irritationem, atoniam aliasque causas, vitiata.

§ 473.

Occasionem praebent catarrhus, perspiratio cu-

tanea impedita, prava digestio, acidum primarum viarum, terror, metus, moeror, stimuli metastatici varii, affectiones morbosae intestinorum, partium adjacentium, vel etiam dissitarum, consensus lege, cum iis conspirantium.

§ 474.

Huic morborum generi medetur Natura. Hujus voce, aegrotantes saepissime aversantur ab eo alimentorum genere, quod alvi fluxum augere possit, et ea appetunt, quae emolliendo et involvendo prosint. Praeterea lecti calor, frictiones abdominis aliaque calefaciendi praesidia periclitantibus placent. Efficacissimum autem Naturae medicamentum est, stimuli morbosi per cutim aliasve vias expulsio.

§ 475.

Naturae exemplo, Medicus utitur: 1) medicamentis, quae emolliendo aut involvendo prosunt; 2) medicamentis derivantibus; 3) antispasmodicis et narcoticis; 4) adstringentibus; 5) amaris, roborantibus, excitantibus.

§ 476.

Medicamenta, *emolliendi*, *involvendi* vi praedita, conducunt, si irritatio aliqua tractum intestinorum detinet, aut ubi stimulus subtilis catarrhalis, aliave acrimonia adest.

§ 477.

Quae *derivando* proficiunt remedia, venae sectio, emetica, diaphoretica, caetera, tunc potissimum requiruntur, si diarrhoea pendet a plethorâ abdominali, a saburrâ gastricâ, ab impeditâ perspiratione cutaneâ, a stimulo metastatico.

§ 478.

Antispasmodicis, *narcoticis* remediis quandoque opus est, ut, absente inflammatione et evacuatâ causâ materiali, nimia intestinorum sensilitas minuatur, motus peristaltici retardentur.

§ 479.

Adstringentia prosunt in diarrhoeâ, quae a laxitate et atoniâ est. — Singula, quae recensuimus, medicamentorum genera, emollientium, narcoticorum, adstringentium, interdum Clysmatis formâ, optime administrantur.

§ 480.

Amara, *roborantia*, *aromatica* subinde conveniunt, ut corrigantur acidum primarum viarum, morbosa muci secretio, languida digestionis conditio.

§ 481.

Corrigentia medicamenta, ut acida mineralia etc., in diarrhoeâ putridâ prodesse possunt.

CAPUT XVI.

De suppressâ vel imminutâ perspiratione cutaneâ, et de methodo diaphoreticâ.

§ 482.

Quae summâ sensilitate instructa et magno stimulorum numero exposita est, cutis, commune corporis integumentum, frequentissime in functione suâ turbatur. Imminuta potissimum vel suppressa ejusdem perspiratio affectiones morbosas creat quam plurimas, cum varietate, tum gravitate insignes.

§ 483.

Suppressam perspirationem cutaneam notare so-

lent: dura, sicca, arida cutis compages, vel cum frigore, vel cum calore praeter modum, conjuncta, aegritudinis et anxietatis sensus, magnum potulentorum desiderium, aucta in organis aliis secretio. Interdum symptomata ad ipsam cutim aliasque partes exteriores praecipue pertinent, ut in catarrho leviori, in Rheumatismo, in hydrope anasarca: quandoque contra interiores partes praesertim patiuntur, aut secundaria potissimum symptomata manifesta sunt: exemplo sint catarrhus pulmonum, diarrhoea catarrhalis, similia.

§ 484.

Inter causas cutis functionem laedentes referantur praesertim, subita aëris mutatio; affectiones spasmodicae; immodica sanguinis ad eam congestio; humorum in alias partes derivatio, stimulo quodam tractum intestinalem aliasve partes detinente. Denique ambustionis et variolarum confluentium exempla docent, ipsam quoque fabricam cutis ita laedi posse, ut muniis suis impar sit.

§ 485.

In restituendâ perspiratione suppressâ multum saepe valet Natura, quum modo voce sua aegrotantem impellat ad potum copiosum, vel febre aliove motu salutari impulsum humorum in cutim augeat, modo per ipsam, quae sensim obtinet, corporis debilitatem, tollat impedimenta perspirationis, tensionem et irritationem cutis. Qui hac via, a Natura sola sanati sint, morborum cum acutorum, tum chronicorum, exemplis observationes Medicorum abundant.

§ 486.

Artis ministri eodem consilio utuntur methodo

diaphoreticâ, sudoriferâ, quae illud complectitur medicamentorum genus, quibus non solum perspiratio insensilis Sanctoriana restituatur, sed humores etiam serosi per cutis spiracula eâ ratione pellantur, ut sudore satis copioso, universali, calido externa corporis superficies madeat.

§ 487.

Proprie quidem remedia *diaphoretica* apud Medicos dicuntur illa, quae exhalationem per cutim promovent; *sudorifera* vero, quae sudorem eliciunt. Conjunctissima autem sunt haec bina genera remediorum, et vix, ac ne vix quidem, separanda aut distinguenda; quum eadem auxilia, secundum eorum administrationem, utrumque effectum praestare possint; qui sane specie et magnitudine magis quam naturâ diversus est. Gregory.

§ 488.

Haec medendi methodus, cujus et usus et abusus frequens est, indicatur:

1) Ad restituendam diaphoresin naturalem, ex incauto corporis refrigerio suppressam, tunc potissimum, quando morbi inde oriundi catarrhalium vel rheumaticorum indolem referunt.

2) Ad evacuandam materiem morbosam subtilem, sanguini quandoque inhaerentem, post ulcera v. c. imprudentur sanata, post suppressos morbos cutaneos, retropulsam arthritidem etc.

4) Revellendi scopo a partibus internis, quippe quae a stimulo morboso saepe liberentur, restitutâ liberâ humorum per cutim circulatione.

5) Ad humores serosos per cutis spiracula efficacius pellendos, si in telâ cellulosâ vel alibi accu-

mulati fuerint, eorundemque resorptio vel imminuta sit, vel impediatur.

6) Ut medeamur quibusdam morbis humorum, iis potissimum, qui e contagio orti sunt, aut exanthematicam formam prae se tulerunt. Exemplo sit Lues Venerea.

7) Ad sedandos spasmos, experientiâ docente, laudabilem diaphoresin in corrigendâ sensilitatis ratione turbatâ multum saepe valere.

§ 489.

Quaecumque vero medicamenta perspirationem cutaneam augent, vel humores attenuant, diluunt, simulque vasa relaxant; vel humorum motum per universum corpus valide incitant augentque; vel denique, quae a spasmo, a nimiâ irritatione aliâve causâ sunt, sudoris impedimenta, seu vasculorum exhalantium constrictionem, imminuunt. Voltelen.

§ 490.

Sunt igitur: 1) sudorifera *diluentia*, ut aquosa omnia, tepide in primis sumta; 2) sudorifera *attenuantia*, ut acida, salia media, flores Sambuci, radices aperientes, antimonialia; 3) *stimulantia calida*, velut salia volatilia, spirituosa aromatica, Serpentaria, Contrajerva, Guajacum etc.; 4) *antispasmodica*, ut Crocus, Caphura, Moschus, Opium etc. Voltelen.

§ 491.

Quae *diluendo* et *refrigerando* agunt, diaphoretica tunc potissimum conveniunt, quando irritatio universalis corpus detinet, vasorum praecipue actio praeter modum aucta est, siccitas, ardor

et tensio in cute ipsâ notantur. Quae *stimulantia calida* sunt, prodesse solent, praesente debilitate universali, et cute, propter imminutum humorum impulsum, siccâ atque frigente.

§ 492.

Quam plurima sunt praesidia externa, quibus diaphoreticorum actio sustentari et augeri possit. Venae sectio saepe perspirationem cutis optime promovet. Ardore cutim detinente, lotiones cum aquâ frigidâ salutares sunt. Balnea tepida quoque remedia diaphoretica sunt efficacissima. Indicato stimulantium calidorum usu, auctus aëris calor, stragula, frictiones, lotiones spirituosae, similia cutis actionem promovere possunt.

CAPUT XVII.

De perspiratione cutaneâ excedente modum, et de methodo cutim stringente, anthydroticâ.

§ 493.

Interdum humores serosi per cutis spiracula atque per transpirationem pulmonalem, utpote quae vel ejusdem, vel simillimae saltem naturae sit, eâ copiâ eliminantur, ut secretionem morbosam minuere, compescere debeamus.

§ 494.

Est autem sudor multiplex; universalis, vel partialis; aequabilis, vel inaequalis; calidus vel frigidus; tenuis, aquosus, vaporosus, in guttas collectus, vel viscidus, oleosus, crassus; quin et odore differt, ita ut sit acidus, nidorosus, putridus.

§ 495.

Inter causas referri merentur vestitus nimis calidus, stragula lecti justo crassiora, potuum tepidorum abusus, imminuta secretio organorum aliorum, vitiata quoque humorum crasis, ut in phthisi, febre hecticâ, ictero aliisque morbis videmus. Disponunt cutis mollis, tenera, laxa.

§ 496.

Causam proximam ponas in vasorum extremorum laxa debilitate; in sanguinis Circulatione praeter modum incitatâ; in facili humoris serosi e reliquis sanguinis principiis expeditione, propter praesentem aliquam humorum acrimoniam.

§ 497.

Medendi methodus, quâ sudores nimios compescere studemus, varia complectitur medicamentorum genera. 1) Stimuli removendi sunt, qui actionem generis cutanei praeter modum augere videntur. 2) Interdum ea remedia adhibenda sunt, quibus secretiones alias augeri, constat. 3) Illa saepe prosunt praesidia, quae vim vitae et mixtionem humorum corrigunt. 4) Quandoque adstringentibus remediis utendum est. 5) Nutrientia et roborantia medicamenta saepe conducunt.

§ 498.

Sudor saepissime prohibetur, surgendo e lecto; sedendo; corpus a nimiis integumentis liberando; stragula adhibendo leviora, e pilis equinis parata; a calidis et calefacientibus abstinendo; potu leni, blando, frigidiusculo.

§ 499.

Alvo tardâ et parcâ diuresi, laxantia frigida et

medicamenta diuretica leviora optime diaphoresin nimiam compescunt. Non raro etiam, praesente aliquo in sanguinis circuitu impedimento, aut nimiâ, quae ad cutim est, congestione, sudores alente, *venae sectio* promptissimum est medicamentum.

§ 500.

Si justo copiosius humores serosi per cutim eliminantur propter praesentem acrimoniam humorum, tunc medicamenta *corrigentia*, ut acida mineralia, cortex Peruvianus, Martialia, praesertim conveniunt. In his tamen magna adhibeatur prudentia.

§ 501.

In nimiâ cutis laxitate, debilitate, atoniâ, remediis *adstringentibus* utendum est, caute tamen administrandis.

§ 502.

Roborantia remedia eo consilio adhibentur, ut corporis nutritionem augeamus, e cujus quippe defectu, nimiae, quae e corpore obtinent, excretiones saepissime explicandae sint.

CAPUT XVIII.

De imminutâ urinae secretione, et de methodo diureticâ.

§ 503.

Urinae secretio, quo munere renes funguntur, aliquando praeter modum languida est vel suppressa, ita ut vesica justo minorem urinae copiam accipiat et excernat.

§ 504.

Justo parciorem urinae secretionem notare solent, facies pallida, laxa, tumidula; siccitatis internae sensus; sitis difficulter restinguenda; ad potum relata, exigua urinae, quae a vesicâ excernitur, copia; perspirationis cutaneae ut plurimum suppressio; humores serosi in tela cellulosa aut in cavis majoribus accumulati; functionum naturalium turbae, saepe etiam laesis circuitu sanguinis et respiratione.

§ 505.

Ejusmodi conditionem inducere possunt varii generis impedimenta, nimia sanguinis ad renes congestio, aut contra, justo parcior ejusdem affluxus, spasmus vasorum sanguinem ad renes vehentium, organorum secernentium debilitas et torpor, vitiata vasorum absorbentium conditio.

§ 506.

Secretionem urinae tardam et justo parciorem Natura saepissime sanat. Praeterea auctâ diuresi morbi sanantur quam plurimi, cum qui acuti, tum qui longi, diuturni dicuntur.

§ 507.

Quae Artis est methodus, *diuretica* vocatur, illud complexa medicamentorum genus, quibus parcior vel suppressa urinae secretio promoveri, restitui possit.

§ 508.

Indicant methodum diureticam: 1) justo minor urinae secretio, et quae ejusdem effectus est, humoris serosi in sanguine abundantia; 2) morbosa humoris serosi in telâ cellulosâ aut in cavis majo-

ribus accumulatio, interdum etiam mucus, sabulum nephriticum, calculi, aut alia materies aliena, renibus reliquisque lotii viis molesta; 3) affectiones quaedam morbosae partium aliarum, morbi potissimum pulmonum, ut peripneumonia chronica, asthma et hydrothorax, in quibus diuretica derivando et revellendo prosunt; 4) morbi nonnulli cutanei, pemphigus, crusta lactea, herpes; 5) cachexiae quaedam, inveterati morbi syphilitici, rheumatici, arthritici.

§ 509.

A medicamentis diureticis abstinendum est, sensilitate renum vel vesicae praeter modum auctâ, vitio organico vel obstructione irresolubili excretionem urinae impediente. Prudenter quoque cum iis mercandum est, praesente graviditate.

§ 510.

Ad morbos sanandos, cum imminutâ urinae secretione conjunctos, aut ex eâ oriundos, pro causarum diversitate, varia adhibentur valetudinis adversae praesidia, obstaculis, quae lotii secretionem impediunt, removendis idonea.

§ 511.

Praesente plethorâ universali, aut irritato genere vasculoso, *venae sectio* optimum saepe remedium est, diuresin naturalem, viâ indirectâ, restituens.

§ 512.

Spasmo aut erethismo nervoso vel totam corporis compagem, vel organa uropoiëtica potissimum detinente, medicamenta *derivantia*, *sedantia*, *narcotica* diureticorum munere funguntur.

§ 513.

Membranis mucosis irritatione quâdam morbosâ affectis, eamque indicantibus linguâ rubrâ et siccâ, siti magnâ, molesto sensu ardoris, *emollientia*, *involventia*, *oleosa* conveniunt.

§ 514.

Suppressâ perspiratione cutaneâ, exanthemate quodam aliove stimulo morboso retropulso, *diaphoretica* remedia diuresin promovent.

§ 515.

Colluvie gastricâ functionem organorum diureticorum turbante, *laxantia* remedia non raro ad urinas pellendas plurimum conferunt.

§ 516.

In hydrope post febres intermittentes, *cortex Peruvianus* urinae secretionem saepissime promovet.

§ 517.

Quae strictiori sensu, *diuretica* vocantur remedia, vel refrigerantes et deprimentes, vel irritantes habent virtutes. Pleraque utriusque generis medicamenta non solum renum actionem, verum etiam functionem, quae a vasis absorbentibus perficitur, augere solent: unde intelligas, frictiones abdominis cum oleo aliquo miti renes interdum posse excitare ad secretionem solito copiosiorem.

§ 518.

Diuretica possunt distribui: 1) in diuretica *diluentia*, ut sunt aqua, serum lactis, aquae acidulae; 2) *resolventia*, ut salia acida et neutra, atque plantae, quae aperientes dicuntur, herba Cerefolii, herba et radix Petroselini, radix Apii, turiones Asparagi, caetera; 3) *stimulantia*, ut

vinum Mosellanum et Rhenanum, salia alçalina, Squilla, Colchicum autumnale, oleum Therebinthinae, Balsamum Copaïvae, medicamenta drastica, resinosa. Voltelen.

§ 519.

Unde constat, non omnia in omnibus morbis pariter profutura esse. Ut occasiones et methodum scias, attendas ad hominum diversitatem, ad functionum reliquarum conditionem, ad medicamenti adhibendi vires, cum in renes, tum in organa alia.

§ 520.

Magnâ prudentiâ et judicio opus est in remedii administrandi formâ, copiâ, usu assiduo, vel intermisso, et si quae sint id genus alia.

CAPUT XIX.

De secretione urinae praeter modum auctâ, et de methodo anti-diabeticâ.

§ 521.

Immodicum obtinere potest urinae profluvium, ejusdem secretione in renibus praeter naturam auctâ, quod morbi genus *Polyuresis* vel *Diabetes* vulgo vocatur. Qualis copiosior urinae fluxus haud unâ ratione homini nocet.

§ 522.

Indicat justo majorem urinae fluxum, adeo magna lotii fluentis copia, ut potuum assumtorum copiam longe superet. Si urina simul a sana valde diversa sit, id est notabilem Sacchari copiam contineat, illud morbi genus adesse dicitur, quod *Diabetes mellitus* vocatur.

§ 523.

Utrumque morbi genus, si radices profundiores egerit, non solum debilitatem et irritabilitatem infert organorum, quae urinam secernunt, transmittunt, evacuant, verum etiam vires frangit, nutritionem impedit, corpus exhaurit.

§ 524.

Causae sunt, acrimonia quaedam sanguini inhaerens et ad renes delata, turbae in perspiratione cutaneâ ortae, vasorum renalium vel spastica, vel alius generis irritatio, cum idiopathica, tum sympathica, potuum tepidorum aut medicamentorum diureticorum abusus, diuturna concoctionis ciborum vitia.

§ 525.

Urinae profluvium si causis levioribus tribuendum et fugax malum sit, nullâ praesente cachexiâ vel aliâ causâ proëgumenâ, ut v. c. in hystericis aliisque aegrotantibus, qui nervosi generis morbis laborant, Naturae soli relinquendum et salutare plerumque habendum est. Juvabit quoque novisse, iis in casibus, in quibus auctior urinae secretio effectus est secretionis alius suppressae, ut in febribus saepe fit, Naturam plerumque hâc viâ uti, ut turbatum restituat functionum aequilibrium.

§ 526.

Si fluxus urinae, qui modum excedit, justo diuturnior sit, aut si aliqua incommoda inferat, Artis auxilio indiget. Quam *anti-diabeticam* dicunt, methodus, vel in causis removendis occupata est, vel iis medicamentis utitur, quae aut universalem corporis constitutionem, aut statum

morbosum organorum, secernendae urinae inservientium, corrigant.

§ 527.

Ut ea remedia seligantur, quibus causam secretionis morbosae probabilem auferre valemus, ad ea potissimum attendendum est, quae, experientiâ docente, saepissime nimio urinae profluvio occasionem praebere videntur. Sunt illae causae, perspiratio cutanea suppressa, sordes gastricae, vermes intestinales, arthritis retrogressa, ulcera pedum incaute sanata, suppressio mensium, similia.

§ 528.

Latente causâ occasionali, medendi methodus ad universam corporis rationem componenda est: tollenda plethora, irritabilitas nimia, vitiata digestio, cachexia universalis, aut si quae alia sint.

§ 529.

Difficilius est causam detegere, quae in ipsis renibus residet; non semper enim ejusdem naturae esse videtur: unde explicandum est, pro variâ conditione morbosâ, prodesse mucilaginosa, oleosa, corrigentia. Interdum conveniunt adstringentia, ut aqua Calcis, vel roborantia, qualia sunt Uva Ursi, Martialia etc., vel etiam antispasmodica, inter quae principatum tenet Opium Thebaïcum.

CAPUT XX.

De calculis organa uropoiëtica occupantibus, et de methodo lithontripticâ.

§ 530.

In singulis, quae urinam vel secernunt, vel

transmittunt, vel excernunt, organis, corpora formari possunt aliena, naturae lapideae, quae aut pulveris formâ prodeunt, aut in molem crescunt majorem. Quae posteriorem formam referunt, pro diversitate structurae, vel *concrementa*, vel *incrustata calculosa* vocantur.

§ 531.

Symptomata differunt pro variâ sede, quam calculi occupant. In universum notantur: dysuria, tenesmi, dolores lumborum, aut regionem vesicae urinariae occupantes, cum stupore cruris saepe conjuncti, pruritus genitalium, nausea, vomitus, aliaque signa sympathici generis. Diagnosin firmant materiae pulverulentae aut calculorum minorum spontanea evacuatio, et exploratio chirurgica, facta a Medico artis suae perito.

§ 532.

Causa proxima, cui sabuli nephritici et calculorum renalium aut vesicalium originem tribuas, ponenda videtur in sale aliquo libero, sive acido sive alcalino, quod vel in renibus, vel in vesicâ, ex urinâ praecipitetur.

§ 533.

Inter causas referri merentur vitae genus immodicum, cerevisiae acidae et vini austeri usus, victus durus, corporis cujusdam alieni a foris introducti praesentia, vita sedentaria, habitatio in loco proclivi, humido. Praeterea huic morborum generi aliquid haereditarii inest.

§ 534.

Natura quoque multum valet in calculis, qui vel in urinae meatibus, vel in illius communi recep-

taculo haerent, per viam naturalem expellendis. Frequentes vomitus motusque febriles, quibus diram malorum cohortem saepissime augeri constat, conamina Naturae videntur salutaria, quamvis molestissima plerumque atque frustranea. Exemplis calculorum, sponte suâ, cum urinâ expulsorum, Diaria Medicorum abundant.

§ 535.

Praeter praesidia chirurgica, qualia sunt injectiones, lithotritia et cystotomia, Ars quoque medicamenta habet interna, quibus *lithontriptica* virtus tribuitur: exemplo sint aqua carbonica, aqua Calcis, Potassa liquida saponariorum etc.; alius quoque generis medicamenta, acida quippe mineralia.

§ 536.

Ut sciamus, quonam medicamentorum genere utendum sit, sedulo inquirendum est, e quibusnam partibus constituentibus sabulum nephriticum aut calculorum fragmenta, per urethram expulsa, componantur.

§ 537.

Praeterea plurima alia medicamenta sunt, quae, ut levamen afferatur dolentibus, cum fructu adhiberi solent.

CAPUT XXI.

De vitiatâ muci in pulmonibus et asperâ arteriâ, cum secretione, tum excretione, atque de methodo expectorante.

§ 538.

Quae asperam arteriam, bronchos et pulmones

ab interiori investit, membrana mucosa eâ ratione per stimulos nocentes affici potest, ut muci, vias has lubricantis, secretio vel praeter modum minuatur, vel indole suâ mutetur.

§ 539.

Symptomata optime intelliguntur ex iis, quae in catarrho pulmonum fieri videmus. Morbi initio, siccitatis sensus, titillatio, raucedo, tussiendi necessitas et screatio frequens, respiratio magis minusve laesa, muci secernendi defectum indicant: in stadio morbi provectiori et in affectionibus catarrhalibus diuturnis, muci secretio abundantior obtinet, sed ejusdem spissioris et tenacioris saepe, neque facile per asperam arteriam et per fauces eliminandi.

§ 540.

Causae, quibus vitiata ejusmodi secretio inducitur, varii generis sunt; saepe stimulus morbosus, qui aëri atmosphaerico inhaeret, viâ rectâ, ut dicunt, cum membranâ mucosâ, respirationis organa investiente, communicatur: neque raro irritatio, quae praeter naturam est, vel per consensum, vel per metastasin, ab aliis partibus ad pulmones transfertur.

§ 541.

Natura quoque praesidia habet, quibus turbatae muci in pulmonibus secretioni medeatur, aut ejusdem excretionem promoveat. Morbi pulmonum plurimi, cum acuti, tum diuturni, hac potissimum viâ, a Naturâ sanantur. Doctrinae Hippocraticae auctoritate, et vero sedulâ eorum, quae in morbis fiunt, observatione docemur, salutis nuntios esse

sputa larga, cocta, odore et sapore carentia, sine difficultate et cum aegrotantis levamine, per asperam arteriam et per fauces rejecta.

§ 542.

Impedimentis, quae medicatis Naturae viribus quandoque adversantur, mederi studet ars Medicorum methodo *expectorante*, id est, eo medicamentorum genere, quae materiam pulmonibus molestam, mobilem faciant, eamque per vias aëriferas, in fauces et in os determinent.

§ 543.

Qualis sanandi methodus indicatur: 1) secretione muci in pulmonibus justo parciori, vel ejusdem excretione per varium causarum genus turbatâ; quo etiam referatur difficilior puris, in pulmonibus formati, expectoratio; 2) praesentibus iis signis, e quibus auguramur, Naturam in morbis pectoris inflammatoriis, crisin moliri per sputa; 3) in quibusdam Circulationis, quae minor vocatur, turbis, ex affectione morbosâ, vel cordis, vel vasorum majorum, vel pulmonum, oriundis, in hydrothorace v. c., et in affectionibus asthmaticis, quo quippe in casu expectorantia liberam sanguinis circulationem promoveant.

§ 544.

Quae autem expectorandi facultatem habent, remedia, vel vias, per quas eliminanda materia est, lubricant, molliunt, humectant; vel circulationem per pulmones liberiorem reddunt; vel muci secretionem augent; vel materiem, pulmonibus impactam, solvunt, attenuant; vel denique ipsos pulmones roborando ac stimulando, eorum

actionem in contentam materiem adjuvant augentque. Voltel.

§ 545.

Pro variâ agendi ratione, medicamenta expectorantia, duce Voltelenio, ad sequentes Classes possunt referri: 1) expectorantia *emollientia*, ut omnia aquosa tepida, mucilaginosa, oleosa, farinosa etc.; 2) *relaxantia*, *antispasmodica*, ut venae sectio, remedia sedantia, papaverina et opium, Hyoscyamus, Belladonna, Asa foetida etc.; 3) *incidentia* et *attenuantia*, velut mel, oxymel, Dulcamara, salia media, et antimonialia; 4) *stimulantia* et *roborantia*, ut Squilla, Gummi ammoniacum, remedia balsamica, vapores acres, Lichen Islandicus, alia.

§ 546.

Unde liquet, medicamenta expectorantia generis esse diversissimi, et posse subinde, quae in uno casu prosunt, in altero obesse, imo inter ea remedia esse, quae incaute administrata, expectorationem magis sistant, quam promoveant. Quapropter nullum medicamentum expectorantes habet virtutes, nisi respondeat causae, quâ excretio illa vel retardatur, vel justo difficilior est, vel penitus supprimitur.

§ 547.

Ut autem selectus fiat, rationi conveniens, notentur sequentia: 1) ratio habenda est aetatis, temperamenti, universae constitutionis, sensilitatis organicae et animalis; 2) inquirendum est in conditionem morbosam pulmonum, ut sciamus, utrum catarrhus, inflammatio, spasmus, sensilitas nimia,

9 *

torpor, paralysis adsit, utrum humorum congestio locum habeat, necne, utrum vitia organica vel cor, vel pulmones occupent, an secus; 3) attendendum est ad sputorum rationem, utrum materies cruda, an cocta, utrum mucus, an vero pus in pulmonibus secernantur; 4) ratio habenda est reliquarum corporis functionum, systematis vasculosi praecipue, cutanei atque intestinalis; 5) attentionem merentur effectus, quos medicamenta expectorantia, vel simul, vel actione secundâ, in partes alias habent.

§ 548.

Remedia expectorantia, quae *emolliendo* et *lubricando* agunt, ut aquosa tepida, vapores emollientes, gargarismata lenientia, Saccharum, Liquiritia, Caricae, Passulae majores et minores, Althaea, Consolida aliaeque radices mucilaginosae, tunc potissimum aegrotantibus opitulantur, quando expectorationi obstant status pulmonum inflammatorius, irritatio quaecumque morbosa; deficiens vel justo parcior in membranâ mucosâ secretio; materiae excernendae cruditas etc.

§ 549.

Relaxantia et *derivantia* medicamenta, ut venae sectio, balnea, oleum Amygdalarum dulcium et similia, tunc conveniunt, quando justo major fibrarum tensio, vel humorum ad pulmones congestio expectorationem impediunt.

§ 550.

Sedantia et *antispasmodica* prosunt, si justo major sensilitas pulmones et asperam arteriam occupat, si tusses sunt frequentes atque frustraneae,

si morbi causae atque symptomata docent spasmi praesentiam.

§ 551.

Incidentibus et *attenuantibus* medicamentis utendum est, si torpor in pulmonibus et asperâ arteriâ obtinet, aut si muci tenacitas exscreationi adversatur.

§ 552.

Quae *stimulando* agunt, expectorantia non unius sunt generis. Alia sunt irritamenta universalia, quibus vires vitales incitantur; alia secretionem in membranâ mucosâ intestinorum augent, atque hanc actionem vel in organa respirationis transferunt per consensum, vel derivando sunt salutaria, quale quid statuendum quoque videtur de iis, quae renum actionem promovent; alia denique ipsos pulmones praecipue irritant, ut Sulphur, Antimonialia, flores Benzoës, Gummi ammoniacum, Senega etc.

CAPUT XXII.

De muci in naribus, in meatu auditorio et in faucibus secretione, vel deficiente, vel morbose mutatâ, atque de methodo apophlegmaticâ.

§ 553.

Quae nares internas investit, membrana mucosa ita affici potest, ut secretionem instituat vel justo minorem, vel indole suâ vitiatam. Unde morbosam partium siccitatem et sensilitatem, atque corpora aliena, quae in damnum respirationis aliarum-

que functionum subinde adsunt, repetere licebit: quo referas mucum tenacem, materiam purulentam, aliosque humores difficilius interdum ejiciendos.

§ 554.

Symptomata, quibus hoc morbi genus notatur, sunt, sensus ardoris, siccitatis, tensionis, vel etiam ingratae plenitudinis et obturationis, respiratio laesa, vox nasalis, interdum quoque cephalalgia, foetor oris, similia.

§ 555.

Excitant morbosam membranae mucosae narium secretionem affectiones catarrhales diuturnae aliaeque causae quam plurimae, cum idiopathici, tum sympathici generis.

§ 556.

Ad corrigendam, quae deficit, vel vitiata est, membranae mucosae aut Schneiderianae secretionem, tunc potissimum, quando affectionem induxerunt causae durationis longioris, peculiari opus est medicamentorum genere. Dicuntur *errhina*, quae materiam mucosam, pituitosam, serosam, acrem e naribus educunt: *ptarmica* appellantur, quae simul sternutationem movent.

§ 557.

Ejusmodi medicamenta vel *emollientem*, vel *stimulantem* virtutem in partes, quibus admoventur, exercent: praeterea in censum veniant et conspiratio partium, et concussio universalis, quae a sternutatione excitatur.

§ 558.

Quae huc referri merentur, medicamenta, Voltelenio monente, distribui possunt; 1) in errhina

evacuantia, ut fotus, vapor, aquosa et emollientia, naribus hausta, oleum Olivarum, mel, Beta, Betonica etc.; 2) in errhina *sternutatoria*, ut resina Guajaci, Nicotiana, Helleborus albus, Euphorbium, et caetera acriora.

§ 559.

Utimur utroque medicamentorum genere; 1) ad restituendam muci in naribus secretionem; 2) ad solvendam, diluendam, evacuandam materiem mucosam, purulentam, ichorosam, in cavitate narium morbose accumulatam; 3) ad revocandam epistaxin criticam, incaute suppressam, quem in finem tamen adhiberi possunt praesidia tutiora; 4) revellendi consilio a partibus vicinis, ab oculis, a sacco lacrymali, ab auribus, interdum quoque a cerebro; 5) ut medeamur torpori, qui in nervis obtinet, ad visus vel auditus organa pertinentibus.

§ 560.

Abstinendum ab his remediis, a ptarmicis saltem, in affectionibus narium inflammatoriis, in congestione sanguinis ad cerebrum aut ad pulmones, in magnâ generis vasculosi irritabilitate, in proclivitate ad haemorrhagias, abortum, apoplexiam etc., praesente herniâ, prolapsu, aneurysmate.

§ 561.

Praeter remedia antea memorata, ad errhina et ptarmica referri solent, Mercurius dulcis, Saccharum album, sal ammoniacus, herba Majoranae, Thymi, flores Lavandulae, radix Asari.

§ 562.

Similiter Artis quaedam praesidia sunt, quibus

otorrhoeam id est aurium fluxum excitare, vel promovere valemus.

§ 563.

Meatum quippe auditorium externum obturare possunt, cerumen induratum, sanguis coagulatus, materies purulenta, corpora aliena varii generis, a foris inducta: neque raro aurium fluxum a Natura excitatum, promovere aut restituere debet Ars Medicorum.

§ 564.

Adhibentur eo consilio; 1) vapores aquosi, emollientes, qui per cannulam in meatum auditorium externum ducuntur; 2) injectiones aquae tepidae, lactis, olei dulcis, aquae saponatae, similium; 3) unguenta, quae vel emolliendo, vel stimulando agunt, gossypii ope in aurem immissa.

§ 565.

Denique inter apophlegmatica referri solent medicamenta *sialagoga* vel *masticatoria*, quae copiosiorem salivae fluxum proliciunt.

§ 566.

Ejusmodi remedia prosunt in molestâ oris et faucium siccitate; in morbosâ nervorum lingualium anaesthesiâ; in aegrotantibus partibus ori vicinis, ut in odontalgiâ; denique eâ occasione, quâ quis expositus est aëri, iu quo miasma aliquod vel contagium residet. Utrum conveniat interdum, salivationem promovere in lue Venereâ et in variolis, nondum constare videtur.

§ 567.

Ad augendam salivae secretionem faciunt: 1) vapores aquosi, collutiones emollientes, gargarismata

varia; 2) masticatio Nicotianae, Pyretri, Angelicae, Sinapeos, Armoraciae, aliorum; 3) usus Mercurialium et emeticorum, dosi refractâ.

CAPUT XXIII.

De deficiente, suppressâ vel justo parciori mensium et lochiorum secretione atque de methodo emmenagogâ et aristolochicâ.

§ 568.

Ut faemina, matura viro, quovis anni tempore, prolem utero concipere et alere posset, majori indigebat sanguinis copiâ, quae, si in eum usum non adhibeatur, per fluxum periodicum, e corpore eliminatur. Fluxus ille, qui ab intervallis, quibus obtinet, menstruus dicitur, haud unâ ratione potest vitiari. Si menses solitâ aetate non profluxerint, *amenorrhoea* vel *retentio mensium* adesse dicitur: si vero, postquam regulariter fluxerant, vel solito tempore non redeant, citra graviditatem et citra tempus, quo infanti ubera praebentur, vel jam fluentes subito reprimantur, tunc, quod obtinet morbi genus, *menostasia* vel *suppressio mensium* vocatur.

§ 569.

Symptomata, quae in utroque notantur mensium non profluentium genere, eo potissimum tempore, quo adesse deberet haemorrhagia, manifestissima sunt. Referas huc plenitudinis sensum in infimo ventre, dolorem lumborum, capitis, pectoris, ventriculi, vertiginem, mobilitatem nimiam, dysuriam, tenesmos, frigus et calorem alternos, animi

deliquia, varia circulationis et respirationis impedimenta.

§ 570.

Effectus *amenorrhoeae* et *menostasiae* universales sunt, plenitudo vasorum sanguiferorum uteri, postea universi corporis; distributio sanguinis abnormis ejusque auctior impetus; febres; congestiones ad partes varias; sanguinis fluxus e naribus, pulmonibus, ventriculo, venis haemorrhoïdalibus. Magna autem notatur affectionum earum varietas, pro faeminae aegrotantis aetate et temperamento, pro causarum praedisponentium et occasionalium ratione, pro lentâ vel subitaneâ mensium suppressione.

§ 571.

Causae, quibus mensium fluxus vel retardatur vel supprimitur, quam plurimae et generis diversissimi sunt. Primum locum merentur, quae rariora sunt, impedimenta mechanica, quibus via ex utero praeter naturam impeditur, vel etiam laesa hujus aliarumque genitalium partium fabrica. Dein in censum veniant plethora universalis, strictior fibrarum compages, vasa uterina sanguine turgida ac distenta, cruoris inertis, justo spissioris, ad uterum fluxus, spastica vasorum strictura, aut insolita eorum inertia. Saepe etiam accusandum est corpus non bene nutritum, causâ quâcumque valde debilitatum, ita ut vel nulla sanguinis plenitudo fieri possit, vel, si qua facta fuerit, vis nulla sit, quae sanguinem per vasa uteri propellat. Naturalis denique sanguinis ad vasa uterina congestio impeditur saepe morbosâ ejusdem ad

partes alias derivatione, praesente haemoptoe, phthisi pulmonali, hepatis aut lienis induratione, abcessu aliquo in parte externâ etc. Quod ad causas attinet occasionales, quae mensium fluxum praecipue reprimunt, vel subito sistunt, recenseri potissimum merentur vehementes animi affectus, sive excitantes, sive deprimentes, frigus, praesertim pedibus admotum, magnae exinanitiones, medicamentorum stimulantium abusus, varium morborum genus.

§ 572.

Natura saepissime medicinam facit fluxui ex utero et vagina vel deficienti, vel suppresso. Neque raro eodem praesidio utitur in morbis sanandis gravissimis. Nullus mulierum morbus est, a pubertatis initio usque ad effoetae aetatis periodum, qui hâc viâ sanari nequeat. Quando impedimenta adsunt vinci nescia, menstruo sanguinis fluxui opposita, Natura interdum corporis salutem curare studet haemorrhagiis, quae ex aliis fiunt partibus: qualia Naturae conamina tamen minime periculo carent, neque raro Medici auxilio indigent.

§ 573.

Quibus ars utitur, medicamentorum genus ad promovendam vel restituendam haemorrhagiam naturalem periodicam, *emmenagoga* vocantur, quo nomine insigniuntur singula remedia, mensibus pellendis idonea.

§ 574.

Quum causae, quae menses vel retardant vel supprimunt, generis sint diversissimi, nullum vero remedium sit, quod singulis causis respondeat,

non mirandum est, praeter ea, quae strictiori sensu *emmenagoga* vocantur, quam plurima alia esse, quae usu legitimo, mensium fluxum promoveant.

§ 575.

Praesente plethorâ universali, aut nimiâ sanguinis ad uterum congestione, *venae sectiones* et medicamenta *diluentia*, *refrigerantia*, optima sunt emmenagoga.

§ 576.

In eo sanguinis vitio, quod a morbosâ multitudine seri inducitur, cute pallente, frigente, tumente, *Martialia* potissimum, *Acida mineralia*, *Cortex Peruvianus cum aromaticis*, prodesse solent.

§ 577.

In constitutione corporis lentâ, pituitosâ, medicamenta *resolventia*, *laxantia*, *salina*, maximum usum habent.

§ 578.

In faeminis temperiei nervosae, et in hystericis, tunc potissimum, quando spasmus systema uterinum frequenter detinere videtur, medicamentis *antispasmodicis* utimur, ut deficientem mensium fluxum arte nostrâ eliciamus.

§ 579.

Quae *emmenagoga* strictiori sensu dicuntur, vel vitam vasorum augent, eorumque agendi rationem mutant, vel congestionem sanguinis ad uterum promovent.

§ 580.

Vasorum uterinorum torpori medentur: exerci-

tatio corporis; balnea calida; medicamenta analeptica, cardiaca, roborantia, praecipue Martialia.

§ 581.

Congestionem sanguinis ad uterum promovent: venae sectio in pede, hirudines ad vulvam, injectiones tepidae in vaginam, vapores calidi, balnea pedum stimulantia, frictiones infimi ventris, torcular arteriae femorali impositum.

§ 582.

Pleraque medicamenta interna stimulando agere videntur in genus vasculosum uteri atque vaginae: exemplo sint Borax Venetus, herbae aromaticae, ut Melissa, Mentha piperitis, flores Chamomillae etc., medicamenta denique resinosa, balsamica, acria, amara, Myrrha, Galbanum, Rheum, Aloë, Sabina, Crocus.

§ 583.

Si quis emmenagoga administrare cupiat, ad haec attendat praecepta: 1) si menses solitâ aetate non proruperint, vel etiam praeter naturam substiterint, medicamentis non utendum est, nisi valetudinis adversae symptomata adsint; 2) ab iis remediis, quae valide stimulando agunt, semper abstinendum est, nisi vera adsit atonia vasorum; 3) emmenagoga non praescribenda sunt, nisi reliqua corporis colatoria bene respondeant, et nisi omnis absit sanguinis ad organa nobiliora congestio; 4) non verisimile, sed certum sit, nullam adesse graviditatem; 5) eo potissimum adhibeantur tempore, quo fluere et reverti solebant, aut quo molimina ad hunc fluxum notantur.

§ 584.

Eadem fere praecepta valent de iis medicamentis, quae olim *aristolochica* et *ecbolica* dicta fuerunt.

§ 585.

Per easdem quippe causas, quae supprimunt menses, lochia quoque vel justo parcius fluunt, vel penitus cohibentur. Utrumque vitii genus gravissimos morbos puerperis inferre solet. Praeter medicamenta antea recensita, clysmata potissimum, fomenta calida et injectiones tepidae eo conferre solent, ut lochia vel promoveantur, vel restituantur.

§ 586.

Neque multum ab emmenagogis differunt ea medicamenta, quibus interdum opus est ad promovendum parturientis negotium.

§ 587.

Licet epistaxis et haemorrhoïdum fluxus non referri mereantur inter haemorrhagias naturales, utrosque tamen promovere vel restituere quandoque convenit, tunc potissimum, quando per consuetudinem in naturam fere abierunt, aut quando eorum suppressio morbos infert augetve. Praesidia artis, eo consilio adhibenda, ex antea dictis intelligi poterunt.

CAPUT XXIV.

De secretionibus et excretionibus corporis, praeter modum imminutis vel suppressis, atque de methodo resolvente, aperiente.

§ 588.

Omnes vel pleraeque saltem corporis secretiones,

eodem quandoque tempore, maximam partem suppressae sunt: ita ut nec sola diaphoresis, nec alvi excretio, nec diuresis, neque alia etiam singularis secretio, sed omnes vel pleraeque secretiones, praeter legem sanitatis, vel torpeant, vel deficiant.

§ 589.

Inter symptomata, ejusmodi conditionem organorum secernentium indicantia, pertinent potissimum plenitudinis sensus et inquietudo. Exemplo sint ea, quae animadverti solent febrium, quas continuas dicunt, initio, aut etiam, quae notari consueverunt, post actionem stimulorum corpus universum graviter afficientium, ut v. c. post animi pathemata vehementiora.

§ 590.

Causae, quibus tribuenda videtur universalis haec organorum secernentium imminuta actio, varii generis sunt. Notari merentur strictura spastica, irritatio nimia, auctus universi sanguinis impetus, quales in morbis inflammationem habentibus obtinent; atonia et debilitas virium, quâ interdum chronicos morbos stipari videmus; denique turbata ratio inter corporis nutritionem ejusque secretiones et excretiones.

§ 591.

Quamvis Natura turbatam hanc secretionum et excretionum rationem impune quandoque ferre videatur, non nisi corporis plenitudinem praeter modum augendo, saepissime tamen a stimulis alienis, qui suppressis excretionibus, in corpore relinquuntur, gravius commovetur, et ad reactionem

morbosam incitatur. Neque raro ex eâdem causâ vires vitales adeo supprimuntur, ut debilitatis speciem prae se ferant. Denique ex universali secretionum torpore Cachexiae plurimae, obstructiones varii generis, morbi chronici alii originem suam saepissime repetunt.

§ 592.

Ut intelligamus effectus, quos deperdito vel suppresso plerarumque secretionum vigori tribui oportet, tenendum est, in hac conditione ejusmodi res, quae vel abundent, vel ad nutritionem ineptae sint, relinqui in corpore, gravissime jam affici solito, si nihil adsit praeter unam secretionem justo minorem aut deficientem.

§ 593.

Natura huic conditioni morbosae medetur, rectam rationem inter singulas corporis functiones, febris potissimum ope, restituendo, virium vitalium vigorem vel augendo, vel minuendo, materiam crudam et incoctam praeparando et ad evacuationem disponendo, vel denique aliâ quâcumque ratione, quae adsunt, obstacula removendo.

§ 594.

Similiter artifices Medici vario utuntur praesidiorum genere, quibus restituant secretiones suppressas. Si consilium habeat Medicus stricturam universalem solvendi, methodo utitur, quae *relaxans* vel *emolliens* dicitur. Indicatur methodus *resolvens* dicta, si evacuanda materia ad exitum praeparanda est. Methodus *evacuans* aut *aperiens* adhibetur, si promovendo unam corporis evacuationem, secretiones reliquae, ab eâdem suppressae,

restitui, aut etiam, consensus lege, intendi posse videntur. Denique *purificante* methodo utimur, si crasin humorum emendari aut stimulos alienos expelli oporteat.

§ 595.

Quum igitur medicamenta diversissima sint, quibus Naturae auxiliari liceat in restiuendo vario, quibus corpus indiget, secretionum genere, operae pretium esse videtur, si de singulis verbo dixerimus.

§ 596.

Venae sectione, *refrigerantibus*, *diluentibus*, *emollientibus*, *antispasmodicis* utimur, si plethora, congestio sanguinis ad organa secernentia, strictura universalis, spasmus, inflammatio, febris, secretiones a corpore instituendas suppresserint.

§ 597.

De medicamentis, quae *evacuantia* dicuntur, nunc non attinet dicere. Conferantur ea, quae de *emeticis*, de *purgantibus*, de *diaphoreticis*, aliisque, quae secretiones singulas promovent, medicamentis monuimus.

§ 598.

Quae *purificantia* vel *corrigentia* dicuntur remedia, qualia sunt antimonialia et mercurialia per epicrasin administrata, et plura praeter haec medicamenta vegetabilia, eâ re potissimum singulas secretiones augere videntur, quod stimulum aliquem contineant, a corpore nostro maxime alienum, junctis plurimorum organorum secernentium viribus quantocyus eliminandum: exemplo sit Tartarus emeticus dosi refractâ praescriptus.

§ 599.

Frequentissime autem, ubi causae adsunt, quae actionem organorum secernentium supprimunt, medicamentis *resolventibus* utimur, de quibus jam paulo accuratius dicendum est.

§ 600.

Causa, quâ fit, ut quae eliminanda sunt, in corpore retineantur aut difficilius evacuentur, in vitiatâ solidorum et virium vitalium ratione praesertim ponenda videtur. Quapropter inter *pituitam* (ne alias memoremus causas morborum, resolutione indigentes) *frigidam*, id est a torpore natam, atque eam, quae *nimio motui* et *temperamento calido* jungitur, jure distinxit Boerhaavius.

§ 601.

Quae igitur adhibentur medicamenta, ut sputa ad expectorationem, saburra gastrica ad emesin vel catharsin, materies perspirabilis retenta ad diaphoresin, praeparentur, non in ipsas has causas *materiales*, sed in solida, a quibus secernuntur, transmittuntur, evacuantur, actionem suam exserere videntur.

§ 602.

Varia autem agendi ratio, quam *resolventia* remedia in solidas partes et in vires vitales habent, optime intelligetur, si attendamus ad praesidia diversissima, quorum externo usu, tumorum aliorumque vitiorum resolutionem promovemus.

§ 603.

Unde apparet, quae *resolventia* vocantur medicamenta, non virtute aliquâ communi, sed eo

potissimum prodesse, quod impedimenta secretionum removeant, sive id faciant aestum minuendo, irritabilitatem deprimendo, copiam humorum augendo, virium vitalium torporem tollendo, extrema vascula arteriosa stimulando, ad secretionem auctiorem incitando, sive alia quacumque ratione.

§ 604.

Pro causarum autem, quibus opponuntur, diversitate, medicamenta *resolventia*, duce Voltelenio, ad sequentes ordines poterunt referri:

1) Resolventia *diluentia*, ut aqua, serum lactis etc., quae partim prosunt ardorem mitigando, stricturas solvendo, pro parte, ut videtur, eo, quod serum sanguinis praeter modum augeant, aut corpori copiâ suâ oneri sint, illudque impellant, ut singula colatoria ad actionem auctiorem incitentur: exemplo sit medendi methodus, quam commendavit Doct. Cadet de Vaux.

2) Resolventia *abstergentia*, *attenuantia*, *frigida;* ut salia media; acida vegetabilia; sapones naturales; mel; fructus horaei; plantae aquoso-saponaceae.

3) *Incidentia calida*, uti salia alcalina fixa et volatilia; sapones artificiales; fella animalium; plantae amarae, acres ex classe alliaceâ et tetradynamiâ; gummata ferulacea.

4) *Roborantia;* ferrum, aromata; exercitatio; frictiones.

5) *Specifica*, ut Mercurialia, Antimonialia, praeparata e Sulphure.

CAPUT XXV.

De secretionum augmento, quod praeter naturam est, et de methodo reprimente.

§ 605.

Quamvis saepius fieri soleat, ut pari fere ratione qua aliae augentur, aliae minuantur secretiones et excretiones, quo quippe Naturae adminiculo cautum sit, ne corpus adeo facile et subito exhauriatur; interdum tamen accidit, ut pleraeque corporis secretiones, eodem tempore, praeter modum intendantur.

§ 606.

Quae praeter naturam auctae sunt, secretiones et excretiones, plerumque per vias obtinent naturales, ita ut sudores notentur colliquativi, diarrhoeae, dysentcriae, copiosior sputorum exscreatio, diabetes ct similia; quandoque tamen per vias minus consuetas, ut v. c, per haemorrhagias, aut per suppurationem.

§ 607.

Causae sunt irritamenta a foris admota, quibus secernentia organa praeter modum incitantur; graves animi commotiones; vitiata humorum indoles; debilitas et atonia, quae vel corpus universum, vel partes singulares detinent; turbata ratio inter secretiones singulas, vel excretiones inter et nutritionem.

§ 608.

Quâ organorum secernentium conditione praesente, damna plurima in corpus humanum redundant. Iis quippe, quae ad nutritionem inservire deberent, evacuatis, sanguinis penuria oritur,

humorum crasis depravatur, debilitas universalis et exinanitio oriuntur.

§ 609.

Quamvis praesidia, quibus Medicus utitur ad cohibendas secretiones justo majores, generis sint diversissimi, et ad causas, a quibus pendet status ille morbosus, ea composita esse oporteat, medendi methodum tamen, hoc consilio adhibendam, communi *reprimentis* nomine insigniri licebit.

§ 610.

Inter causas irritantes, quibus secretiones praeter naturam augentur, frequentissimas referri merentur vestitus justo calidior, stragula lecti parata e plumis aut lanâ, alimenta et potulenta excitante vi praedita: in quo causarum genere removendo primum est Artis praesidium adversus secretiones et excretiones excedentes modum.

§ 611.

Quando secretiones praeter naturam incitantur a vitiatâ sanguinis crasi, id est, quando perspirationem, diuresin aliorumque organorum, quae colatorii munere funguntur, actionem justo magis intendunt insolita tenuitas aut vitia alia sanguinis, tunc medicamenta *corrigentia* in primis conveniunt.

§ 612.

Medicamenta *relaxantia*, *diluentia*, *derivantia* tunc potissimum juvant, quando excretiones copiosiores causam habent in nimiâ partium irritabilitate, in plethorâ universali vel topicâ: exemplo sint haemorrhagiae, quae vocantur activae.

§ 613.

Quae passivi generis sunt, haemorrhagiae docent,

ab atoniâ quoque et debilitate secretiones et excretiones praeter modum posse intendi. Quo in casu, medicamentis opus est *roborantibus*, *tonicis*, *adstringentibus*.

§ 614.

Denique salutem afferre possunt, quaecumque nutritionem insigniter promovent, *eupepta*, *amara*, *stomachica*: quo referas lactis usum, corticem Peruvianum, Lichenem Islandicum et quae similia sunt.

INDEX CAPITUM.

Prolegomena.

Pars Prior.

DE COGNOSCENDIS MORBIS.

Caput I.

Caput II.

PARS POSTERIOR.

DE SANANDIS MORBIS.

SECTIO I.

PRAECEPTA GENERALIA DE ARTE MEDENDI MORBIS.

Sectio II.

Universalia artis praesidia ad sanandos morbos.

Affectiones morbosae simplices, cum partium, quae similares dicuntur, tum etiam humorum, quaeque in iis conveniunt medendi methodi.

Caput I.

Caput II.

Caput III.

Caput IV.

Caput V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

Affectiones morbosae simplices, quae in partibus dissimilaribus oblinent, atque medendi consilia, quae in singulis conveniunt.

CAPUT XI.

CAPUT XX.

CAPUT XXI.

CAPUT XXII.

CAPUT XXIII.

CAPUT XXIV.

CAPUT XXV.